

19. W. 48.

LIBER DE  
**DOCTRINA**  
CORDIS,

A R. P. FRATRE  
**GERARDO LEODIENSI**  
*Ordinis Fr. Praedicatorum Lectore,*  
*iam olim editus.*

¶ V N C R E C E ¶  
A FR. ALOYSIO DE AQVINO,  
è latebris, situq; vetustatis erutus, mendis  
purgatus, ac Religiosorum com-  
modo restitutus.

*Sapiens Ger. & intelligibile absti-*



*nubit se à peccatis. Ecclesiast. 3.*

125  
NEAPOLI, Ex Typographia Io. Baptistæ Subtilis. 1605.

SUPERIORVM PERMISSV.

Qui timent Deum præpa-  
rabunt Corda sua, & in  
conspectu eius animas  
suas sanctificabunt.  
Ecclesiast. 24.



BIBLIOTHECA PALAT.  
VINDOBONENSIS.



REVER.<sup>mo</sup> PATRI FR.

HIERONYMO  
XAVIERRE

Cæsaraugustano S. Theol. Professori,  
totius Sacri Ordinis Prædicatorum  
Generali Magistro dignissimo  
S. P. iugemq; felici-  
tatem.



*REGIUM sanè eorum est  
institutum, (Reueren.<sup>me</sup>  
Pater) qui nihil pretio-  
sius habent, quàm ut to-  
tis viribus, omniq; cona-  
tu, ad aliorum utilita-  
tem, quacunque valeant ratione, uberes ex  
eorum studijs fructus effundant: vel noua  
promendo in lucem, vel (quod parum abest)  
veterum ingeniorum monimenta typis tra-  
dendo. Nam quid prodest, si aliquod vel*

† 2 eru-

eruditum, vel pium opus superinducto situ  
deliteſcat, & pereat? utinā id minimè com-  
periretur. Sed morbus hic adeò inualuit, &  
diffuſus eſt ubique, ut liuore quodam me-  
liora infecerit, ut volumina, quae re vera  
eſſent emittenda, inutilia proſus, & inuiſa  
iaceant, ac propè depercant. Quot praeclara  
ſcriptorū opera corruerunt! Quanta rerum  
cognitio à nobis euauuit! Nolui profeſſo id  
pro buic operi accidere, quod iure quodam  
meo uidetur munere propagandum; eum in  
tenebris denſioribus abiectum, inuiſumq; ia-  
cens, ut vix inde abſtrahi potuiſſet, mea ſit  
opera, meaq; ſtudio inuentum. Cum enim  
die quadā in Bibliotheca noſtra Sancti Do-  
minici conſediſſem, ibiq; morales libellos per-  
legerem, illo uenerandi Patres aduenerunt:  
numquid libellus adeſſet, qui DOCTRINA  
CARPIS inferibitur, ſciſcitantes. Reſpondi,  
huius nominis me tantum habere notitiam,  
cum ſemel in perueſto quodam opere cita-  
tum repenarim. Vnde, & horum Patrum  
teſtimonio, & ipſius operis inſcriptione ad-  
ductus, non potui ipſum ſummopere non

com-

commendare. Statui tunc animo inquirere diligentius, ac curiosius indagare, capique librorum indices reuifere, nec signi quidquam apparebat. Cunctas ferè ciuitatis, cum veterum, tum neotericorum codicum bibliothecas nō semel lustravi, nec quidem nomine agnoscebat. Tandem verò spe inueniendi deiectus, cum de eo minimè cogitarem, in medio, & in cuiusdam voluminis utero, relictus in abscessu pectoris latitans, en Cordis opusculum apparere cepit, & quasi decore quodam Cor meum, DOCTRINA CORDIS exbilaratum gestiens exultauit. Quod ut primum inspexi, adeo veneranda illius antiquitate sum oblectatus, ut thesaurum pretiosissimum me inuenisse putarim. Non secus ac si quis alicuius difficilis rei felicioris explanationem inueniens, solet & gaudio exilire, & identidem exclamare: Reperi tandem, Reperi. Ea igitur viso refedi, opus ut pulcherrime legi, atque relegi, eiusque amore adeo flagrare cepi, ut tanti viri merorem excidere; aut diutius squallere, indignissimum iudicarem. Quapropter operæ

rae pretium existimaui si tam bonum opusculum è Cimmerijs tenebris eruerẽ ; ne diu quasi sub modio occultaretur ; sed cunctis, praecipue sacrarum literarum studiosis, pijs, deuotisque ; uiris benignè profereretur. Atque id causae fuit , ut extrahendi à Bibliotheca facultatem peterem , quò commodius illius lectione perfruerer. In cellam itaque nostram detuli, atque ter lectum, descriptum, ac proprio in loco repositum hunc Dei uirum ad uiuos reuocare decreui , cum inter eos , qui editis libris orbem repleuerint , non sit, ( meo iudicio ) postremo loco habendus. Cum uerò aspexissem anonymum, non leui affectus moerore substiti , repertiq; muneris aliquantulum letitia destitutus, coepi iterum cogitare de nomine , cum id modestiae ( uti reor ) aut humilitatis gratia, orbi prode noluisset. Nunquam tamen spe inueniendi omissa , post multorum Chronicorum euolutos libros , inueni quod quaeritabam. Fuit uir iste religiosus , pius , uitaeq; integritate conspicuus, natione Germanus, aut Gallus, ut ex uerbis vulgaribus, quae quandoq;

doq; interserit , facile dignosci potest : Reli-  
 gione Dominicanus, nomine Gerardus, alijs  
 Genardus, patria Leodiensis, quae est Du-  
 catus Iuliacensis urbs Episcopalis, & Ger-  
 maniae inferioris maxima, vulgo Lüttich,  
 Lector eruditus, egregio ingenio praeditus,  
 in diuinis literis multiplici lectione exer-  
 citatus, & in scholastica doctrina perdo-  
 ctus, ac in omnium bonarum artium peritia  
 spectatissimus. Praeter hūc de DOCTRINA  
 CORDIS tractatum nonnullos edidit ser-  
 mones tam de Sanctis, quam de tempore  
 utilissimos: claruit iuxta auctorem sup-  
 plementi Chronicorū anno Domini 1313.  
 secundum alios 1270. Perlegi itaque, &  
 quamuis mendarum plenissimū, quamplu-  
 rimis in locis imperfectum, & loca mendose  
 signata penè innumera reperissem, perspexi  
 tamen maxima sapientia plenum, & sen-  
 tentiarum uberrimum, quasi fontem Ca-  
 tholicas veritates effundere. Quare diligenti  
 adhibita cura, quoad potui, proprio nitore  
 restitui. Eam autem rationem habui, ut ne  
 temerè quicquam immutarem, aut sensum  
 eius

Lib. 13.  
 Fr. Anto-  
 nius Se-  
 nēsis Lu-  
 sitanus  
 in suo  
 Chroni.  
 & Biblio-  
 theca Fr.  
 Prædica-  
 torum,  
 pag. 90.

eius corrumpere, neuè aliqua vocabula,  
 quae minus eleganter sonarent, detraberem:  
 nisi ubi error se manifestè prodebat. Hunc  
 ergo librum, cui auctor iste, optimus sacra-  
 rum literarum interpres, titulum indidit  
 DOCTRINA CORDIS, pium atque erudi-  
 ditum, etsi humili stylo conscriptum, pijs  
 ac religiosis non inutilem, qua praeditus es  
 humanitate, laeto animo, hilariq; facie  
 complectere, quandoquidem tuae Reuer.<sup>ma</sup>  
 Pat." nomine illustrem communicandum  
 existimaui. Cum enim ea sit huius libelli  
 argumenti ratio, ut optimus quisque &  
 Praeparare Cor suum Deo Opt. Max.  
 facile discat: qua custodia Custodire, & in  
 lege Altissimi Aperire valeat: quomodo sit  
 idem Stabiliendum non ignoret: ac demum  
 quomodo Tradendum, Leuādum, ac Scin-  
 dendum sit, inueniat: diligenter inspicien-  
 dum mihi fuit, cuinam opus Cordis inscri-  
 berem: quod ne cuiquam rectius, quàm tuae  
 Reuerendissimae P. dicandum libuit. Cum,  
 ut meum in te studium, obsequium, obser-  
 uantiam, & (quod verius dicam) Cordis  
 affectum

*affectum testarer: tum ut opus ipsum te fieret praeside & auspice tutum, & cunctis legentibus gratius redderetur, & ex tuae Reuerēdiſſimae P. quodam splendore quidpiam accederet authoritatis, & gratiae. Idq; etiam facio libentiſſime, & ut grati animi, propenſionisq; laudem ob innumera in me collata bēneficia, ob hilarem laetamq; frontem, qua me ſemper excipere conſueviſti, teſtatam apud te babeam; & ut ſuaſcentibus obtemperem, qui me ad tuam Reuer.<sup>nam</sup> P.<sup>m</sup> ob muneris exiguitatem accedere verentem, compulerunt. Itaque ne ab hoc inſtituto digrederer te elegi R.<sup>mc</sup> P. magni illius Alexandri reſponſum imitatus, qui ſermē moriens, cum quaereretur, cui nam totum relinqueret principatum, ei, reſpondit qui optimus eſſet. Ipſe verò neminem habeo, quem tibi praeponā, quippe qui totius Praedicatorij Ordinis ipſe es Princeps, decus, & caput praeſantiſſimum, cuius integritas, ac nobilitas, cuius ſingularis quaedam humanitas, ac beneuolentia, qua ſtudioſos omnes complecteris, ubique eſt ce-*



leber-

leberrima. *Quis enim tuas eximias laudes non admiretur, non praedicet? Quis incomparabilem benignitatem tuam summis laudibus non extollat? Id verissimum esse nostra hoc tempestate non obscuro, nec vario sermone, sed una omnium clarissima praedicatione testatur. Nullum enim tempus fuit, quo Praedicatoria Resp. maiorem in suo Generali requireret Sapietiam, Prudentiam, Iustitiam, Constantiam, ac Magnanimitatem, quam hoc ipsum, in quod felix tuus peruenit Magistratus. Nam Diuina adfuit Prouidentia, teq; magno Patrum cōsensu totius Ordinis voto Reip. gubernaculo admouit, ut esset, per quem Praedicatorum Ordo, non solum suo confisteret uestigio, sed etiam insigniter augeatur. Sed ne de re tam manifesta actum agam, aut culpa ingenij modestiam tuam, virtutesq; conspicuas deteram, filebo. Tantum abest Reuerendissime, ac colendissime Pater, ut si pro hac mea qualicunq; cura, ac diligentia, quam in huius authoris opere purgando, aut multiplicatis exemplaribus*

*bus in lucem edendo, vel potius regeneran-  
do adhibui: mihi aliquid debetur, id totum  
tuae Reuerendissimae P. cuius auspicijs hic  
author in lucem prodit, referam & ascri-  
bam. Denique omne obsequium meum,  
meq; totum tibi libens offero, atque plenissi-  
me polliceor precatorem. Vale, ac diu vi-  
ue, felixq; progredere semper. Neapoli,  
è Diui Dominici Kalendis Nouembris  
MDCIV.*

*R.<sup>ma</sup> P.<sup>ris</sup> tuae*

*Addictissimus & obsequentissimus  
filius & seruus*

*Fr. Aloysius de Aquino  
Prior S. Dominici.*



ADMODYM R. P. F.

ALOYSIO DE AQUINO  
PRIORI CONVENTVS

S. DOMINICI,

*Fr. Ambrosius Guglielminus de Neap.  
Sac. Theol. Pr.*



**H**VNC de Doctrina Cordis autem libellum, in cui Aegij Conuentus celebri Bibliotheca à te repertum, deinde impressioni datum, cunctis legentibus fore vtilissimum, mihi facile persuasi, Anno enim Domini 1570. Superiorum iussu pluribus annis de Bibliotheca curam agens, eundem auctoritate legi, & ad cunctorum manus prae spiritualis doctrinae dulcedine deuotissime optabam: iam nunc votocompos effectus ingentes tibi gratias ago, acturj quoque Originales Filij quique sumus praefati Conuentus. Supererat vt sub Reuerendissimi Patris nostri totius Ordinis Generalis Magistri auctoritate, eum prae loqui mandasset, vt sic tutus existeret. iam totum explesti & bene. Vale diu felix. è Conuentu Sanctae Mariae Summatis, anno Domini 1605. die 20. Ianuarij, in qua tota haec ciuitas Neapolitana cum solennissima processione, & inenarrabili lætitia Diuum Thomam Aquinatem Doctorem Angelicum in suum Patronum & tutelarem deuotissime suscepit. DEO gratias. Amen.



FR.

  
**FR. ALOYSIVS DE AQUINO**  
**AD LECTOREM.**

**C**ompositi libri sint iam licet vndiq; multi,  
Qui dare nos doceāt COR, animāq; Deo:  
Protinus vt monstret, fecit quos esse capaces  
Muneribus, Sanctus Spiritus ipse suis.  
Hic est praeceptus libris in mille repositus,  
Indignus penitus tam latuisse diu.  
Inuentus, studiisq; meis, & ritē relectus  
Est visus dignus publicē ubiq; legi.  
Saltem saepe bonis, quō discant scandere firmis  
Perpetuo ad superos, corpore, mente simul.  
Hunc ideo creui non clām supponere praelis,  
Vt prosim populis, qua quēo parte, piis.

---

**IO. FRANCISCI LOMBARDI**  
**Neap. ad Christianum Lectorem**  
**Hexastichon.**

---

**T**hesauri inuili vtilitas nulla est, Sirach inquit,  
Vti homo sane illo nam nequit arte sua:  
Gerardus scripsit DOCTRINAM CORDIS abundē,  
Ex Corde, vt quisquis possit amare Deum.  
Erue hunc librum tenebris industria AQUINI,  
Christum ora, hic viuat saecula multa senex.



Ad-



*Admodum Illust. & Reu.<sup>me</sup> D.<sup>ne</sup>*

*Perlegi Epistolam Illust. & Admodum  
Reuer.<sup>di</sup> Patris Fratris Aloysij de  
Aquino Ordinis Praedicatorum ad  
Reu.<sup>mum</sup> Generalem sui Ordinis, occa-  
sione libri, qui dicitur CORDIS OPUSCU-  
LUM, & potest imprimi, quia nihil habet  
contra Fidem, neque mores. In cuius  
rei, &c. Neapoli 13. Nouembris,  
MDCIV.*

*Ioan. Fraciscus Lombardus  
Canonicus deputatus.*

---

*Epistola haec Dedicatoria praefigenda li-  
bro non minus erudito, quam pio, de  
DOCTRINA CORDIS, imprimi potest.*

*Rutilius Gallacinus Canonicus  
deputatus, Regist. fol. xj.*

IN-

# INDEX EORVM, QVAE summatim infra continentur.



|                                        |        |                                           |              |
|----------------------------------------|--------|-------------------------------------------|--------------|
| <b>Liber Primus.</b>                   |        | <i>Detorque.</i>                          | 142          |
| <b>D</b> ivisio operis in septem tra-  |        | <i>De in aure.</i>                        | 145          |
| ctatus.                                | pag. 4 | <i>De coram virginis.</i>                 | 150          |
| Cor preparandum ad similitu-           |        | <i>De ornamento obedientiae.</i>          | 152          |
| dinem domus.                           | 6      | <i>De ornamento diuini eloquij.</i>       | 153          |
| <i>Quae requiruntur ad hoc.</i>        | 7      | <b>Liber Secundus.</b>                    |              |
| <i>De utensilibus domus.</i>           | ibid.  | <i>De custodia cordis ad similitudi-</i>  |              |
| <i>De lectulo.</i>                     | 17     | <i>nem castri custodiendi.</i>            | 155          |
| <i>De taciturnitate.</i>               | 22     | <i>Ad similitudinem castri obsessi.</i>   | 157          |
| <i>De sede.</i>                        | 26     | <i>Decem stultitia imprudentium</i>       |              |
| <i>De mensa.</i>                       | 34     | <i>in bello spirituali.</i>               | 165          |
| <i>De candelabro.</i>                  | 38     | <i>De custodia linguae.</i>               | 175          |
| <i>Ibi de cognitione sui ipsius.</i>   |        | <i>Quid loquendum.</i>                    | 179. Cui lo- |
| <i>De custodia quinque sensuum.</i>    | 41     | <i>quendum. Vbi loquendum.</i>            |              |
| <i>De Sacramento Altaris.</i>          | 62     | <i>Quando loquendum, &amp; Mo-</i>        |              |
| <i>De mortificatione sui ipsius.</i>   | 65     | <i>dius loquendi.</i>                     |              |
| <i>De abdicatione propriae volun-</i>  |        | <i>De fraterna correptione.</i>           | 185          |
| <i>tatis.</i>                          | 67     | <i>Quae sunt attendenda in corre-</i>     |              |
| <i>De sufferentia tribulationis.</i>   | 69     | <i>ptione alterius.</i>                   | 187          |
| <i>De praemeditatione passionis</i>    |        | <b>Liber Tertius.</b>                     |              |
| <i>Christi.</i>                        | 75     | <i>De apertione cordis ad modum</i>       |              |
| <i>De sustententia correctionis.</i>   | 76     | <i>libri.</i>                             | 191          |
| <i>De abdicatione carnalis amo-</i>    |        | <i>Quid legendum in conscientia.</i>      | 192          |
| <i>ris.</i>                            | 78     | <i>Lamentatio, carmen, &amp; vae.</i>     |              |
| <i>De desiderio mortis.</i>            | 80     | <i>De septem signaculis libri con-</i>    |              |
| <i>De matrimonio spirituali.</i>       | 85     | <i>scientiae.</i>                         | 195          |
| <i>De signis virginis.</i>             | 95     | <i>Cor aperiendum ad modum ostij.</i>     |              |
| <i>De distinctione matrimonij spi-</i> |        | <i>pag.</i>                               | 203          |
| <i>ritualis.</i>                       | 104    | <i>Quomodo aperiendum proximo.</i>        |              |
| <i>De bonis matrim. spirit.</i>        | 113    | <i>pag.</i>                               | 208          |
| <i>De perseverantia.</i>               | 117    | <b>Liber Quartus.</b>                     |              |
| <i>De ornamentis animae.</i>           | 121    | <i>De stabilitate cordis.</i>             | 212          |
| <i>De ornamentis spiritualium nu-</i>  |        | <i>Quae stabiliunt &amp; firmant cor.</i> |              |
| <i>ptiarum.</i>                        |        | <i>pag.</i>                               | 230          |
| <i>De armilla.</i>                     | 140    | <i>De constantia cordis.</i>              | 234          |
|                                        |        | <i>Quae</i>                               |              |

|                                        |     |                                           |     |
|----------------------------------------|-----|-------------------------------------------|-----|
| <i>Quae faciunt ad instabilitatem.</i> |     | <i>De spe.</i>                            | 261 |
| pag                                    | 235 | <i>De desiderio.</i>                      | 262 |
| <i>De constantia in aduersis.</i>      | 339 | <i>De intentione recta.</i>               | 262 |
| Liber Quintus.                         |     | <i>Quare cor eleuandum.</i>               | 270 |
| <i>De datione cordis.</i>              | 244 | Liber Septimus.                           |     |
| <i>Quomodo sit dandum.</i>             | 258 | <i>De scissura cordis.</i>                | 276 |
| Liber Sextus.                          |     | <i>De amore ecstasico, &amp; eius fi-</i> |     |
| <i>De eleuatione cordis.</i>           | 285 | <i>gnis.</i>                              | 279 |

F I N I S.





INCIPIT LIBER  
DE DOCTRINA  
CORDIS

R. PATRIS FRATRIS  
GERARDI LEODIENSIS  
*Lectoris, Ord. Praed.*



PROLOGVS.

**P**RAEPARATE corda vestra  
Domino: Verba sunt Samuelis, 1.  
Reg. 7. Loquitur Dominus prædi-  
catoribus per Isai. 40. dicens: Lo-  
quimini ad cor Ierusalem. In hoc  
verbo admonetur prædicator, vt verbum salutis  
diligenti, & familiari expositione studeat eliqua-  
re; vt sic ipsum verbum facilius vsque ad corda  
audientium transfundatur. Sunt enim verba Dei,  
quasi vna, multa fecunditate repleta: vnde oportet

*Nota fe-  
quentia.*

*Verba  
Dei qua  
si vna.*

A tet

Auristor-  
cular.

tet vnam exprimere, quod est, verbum diligenter exponere, vt vinum spiritualis intelligentiæ vsque in cellarium cordis fluat. Auris enim bona, torcular est (vt dicit Augustinus) vinaria verborum retinens, & vinum spiritualis intelligentiæ vsque ad cellarium cordis transmittens. Quotiens ergo tibi prædicatur, totiens vinum spirituale ad cordis tui cellarium, ad te potandum, ad te inebriandum transmittitur. Væ ergo tibi, si cor tuum in huius vindemiæ vbertate vacuum, & sitibundum remanserit; ac sis effectus de illis, de quibus dicitur Iob 40. Qui calcatis torcularibus fisiunt. Væ tibi, si canale, seu conductum auditus tui à cellario Regis, id est, diuina doctrina auerteris, ne liquor pretiosus influat in cor tuum; ad aquam turbidam, & immundam fabulationum sæcularium eundem auditum conuertens cum illis, de quibus dicit Apostolus 2. ad Timoth. 4. A veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, (dicit Propheta) sed non vt lex tua: supple, influxerunt in cor meum. Psal. 118. Caue ergo, ne aqua lutosa huiusmodi fabularum ad cor tuum per auditus tui vehiculum transfundatur; quin potius ad veritatem doctrinæ cælestis auditus tui canale studeas applicare: vt cordis tui cellarium, vino lætificante cor hominis, impleatur. Secundo, Loquimini: &c. In hoc verbo admonetur prædicator, vt iuxta doctrinam Ecclesiastici 6. Verbi dulcedine amicos multiplicet, non exaspe-

Prædicator, consolator, non desolator est.

sperans auditores : sed instruens potius in spiritu  
 lenitatis . Lenis enim consolator dicitur loqui  
 ad cor ; sicut dicit Ruth 2. ad Booz : Consolatus  
 es me ; & locutus es ad cor ancillæ tuæ . Vnde  
 dicitur in vulgari : Iste locutus est ad cor meum .  
 Non est ergo repellendum , sed amplectendum  
 verbum doctrinæ cordis , cum sit verbum solatij ,  
 quod saltem sufferre monet Apostolus ad Hebr.  
 13. dicens : Rogo vos fratres , vt sufferatis verbū  
 solatij . Item , tertio : Loquimini , &c. In hoc ver- Nota.  
 bo commonetur prædicator , vt iuxta doctrinam  
 Ecclesiastici 4. Sapientiam in decore suo non  
 abscondat : plus verborum compositioni , quàm  
 sententiæ attendendo . Veritatis enim prædica-  
 torem non decet huiusmodi verborum compo-  
 sitio , per rhythmos consonantium . Vnde Sene- Seneca .  
 da : Oratio , quæ veritati dat operam , impossi-  
 ta debet esse , & simplex . Et iuxta verbum Au- August.  
 gustini : Bonorum ingeniorum insignis indoles  
 est , in verbis verum amare verbum , non verba .  
 Sunt enim quidam ( vt dicit Gilbertus ) qui in cō- Gilber-  
tus.  
 uentu Fratrum student magis alta , quam apta  
 proferre : erubescunt placida , & humilia , ne hæc  
 sola scire videantur : tales non loquuntur ad cor ,  
 sed ad aures tantum . Dicitur ergo : Loquimini  
 ad cor Ierusalem ; quasi non vt aures verborum  
 ornari mulceatis , sed potius aperta sententia cor  
 purgatis . Vnde dicit Dominus Osee 2. de ani-  
 ma iusti : Ducam eam in solitudinem , & loquar  
 ad cor eius . Attende quod non tenet colloquia  
 sua

sua cum corde tumultuoso, strepenti, & distracto  
varijs affectionibus. Ecclesiastici 32. Vbi auditus  
non est, non effundas sermonem. Vt ergo ad eos  
tuum loquar, vt vino spiritualis intelligentie ex  
racemis factorum verborum diligenti exposi-  
tione expressum te poter, te inebriet, vt doctri-  
na mea, imo potius Christi, te nutriet, & consoletur  
vt non a te tantum tuas mulceat, sed potius  
cor tuum pungat: audi filia, & vide, & inclina ani-  
mam tuam, attende doctrinam cordis tui propo-  
sitam.

*Diuisio sequentis operis in septem*

*Tractatus*

**P**reparate corda vestra Domino. Nota, quod  
septem instructiones sunt in Scriptura sacra:  
Docet enim Samuel, 1. Regum 7. Cor prepara-  
re, vt hic: Preparate, &c. Item, docet Salomon  
Proverb. 4. cor custodire, dicens: Omni custo-  
dia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita proce-  
dit. Item, docet secundus liber Machabæorum  
cap. 1. cor aperire, dicens: Adaperiat Dominus  
cor vestrum in lege sua. Item, docet Apostolus  
cor stabilire, ad Hebræ. 13. dicens: Optimum est  
gratia stabiliri cor. Item, docet Ecclesiasticus  
cap. 39. cor dare, dicens: Iustus cor suum tradet  
ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit  
illum. Item, docet Ieremias Thren. 3. condemas-  
re,

Nota se-  
ptē in-  
structio-  
nes cor-  
dis.

te, dicens: Leuamus corda nostra cum manibus ad Deum. Item, docet Ioel <sup>cap. 2.</sup> cor scindere, dicens: Scindite corda vestra. Ecce septem hic dicuntur de corde, scilicet, Præparare, Custodire, Aperire, Stabilire, Dare, Leuare, & Scindere. Et hæc septem sunt † per item dona Spiritus sancti, in quibus tota ordinatio, & totus progressus interioris hominis consistit. Hæc sunt dona, donum Timoris, Scientiæ, Pietatis, Fortitudinis, Consilij, Intellectus, & Sapientiæ, quæ Isaias cap. 11. descendendo enumerauit, incipiens à summo, dicens: Et requiescet super eum Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, spiritus Consilij, & Fortitudinis, spiritus Scientiæ, & Pietatis, & replebit eum spiritus Timoris Domini. Vt ergo singula singulis reddamus, dicendum est, quod dono Timoris cor præparatur, dono Scientiæ custoditur, dono Pietatis aperitur, dono Fortitudinis stabilitur, dono Consilij datur, dono Intellectus leuatur, dono Sapientiæ scinditur. Libet quæcunque præparatio cordis minime spectet ad Timorem, nec quæcunque eiusdem custodiat ad Scientiam, & sic de alijs: sed instar rinni, diuercicula, quæ inuenerit, replens, prætersuere tamen non cessat. Præter ista dona, ex abundanti doctum faciemus digressum. Circa cordis præparationem attende, quod cor præparandum est, sicut domus præparatur ad dignum hospitem recipiendum: sicut præparatur cibus ad comedendum, & sicut sponsa præparatur ad sponso

† f. totidem

De septem donis Spiritus sancti.

Diuisio primi tractatus. Tribus modis cor est præparandum.

sponso suo placendum. Ecce triplex ratio, siue  
modus præparandi.

*De Præparatione cordis ad similitudinem  
domus præparandae.*

**P**Ræpara ergo cor tuum, tanquam domum ad  
magnum hospitem Christum Dominum tuum  
recipiendum. Ipse enim tanquam vir vagus su-  
per terram, & declinans ad manendum; ut dicitur  
Ieremiæ 14. Cuius delitiæ sunt esse cum filiis  
hominum, sicut dicit Salomon, Prouerb. 8.  
Qui in tuo negotio tantum laborauit, ut in ho-  
spitio cordis tui lassatus, & vulneratus requie-  
scere quærat, dicens per Isaiam cap. 28. Hæc re-  
quies mea, reficite lassum. Ergo Christum tuum  
refice, ut in te locum refectionis, & quietis inue-  
niat; qui in te, & à te causas laboris accepit. La-  
borem mihi præbuiisti in iniquitatibus tuis, dicit  
ipse, per Isaiam cap. 43. Quis pugilem suum de  
victoria redeuntem gloriosum, aspersum sangui-  
ne, liuidum, confossum, vulneratum in domo sua  
gratanter non reciperet? item, cum honore non  
occurreret? Huius gratiæ ciues Angelici non  
immemores, quos etiam non apprehendit, sicut  
dicit Apostolus ad Hebræ. 2. id est, quorum na-  
turam non assumpsit: cum gloria ascendenti oc-  
currerunt, dicentes in Isaiam cap. 63. Quis est iste,  
qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, ista  
formo-

formosus in stola sua , gradiens in multitudine fortitudinis suæ ? Væ ergo tibi , si ipse possit im-  
properare illud Euangelij Matthæi 25. Hospes  
sui , & non collegistis me . Attende autem , quod  
in tribus consistit præparatio hospitij cordis tui .  
Primò vt mundetur , secundo , vt ornetur , tertio ,  
vt portæ eius custodiantur .

*Primum præparatorium domus , est  
Mundare .*

**M**Vnda ergo hospitium cordis tui , si vis Chri-  
stum hospitem habitare : quod fit per ti-  
morem , qui expellit , & eiicit peccata , tanquam  
immunditias hospitij cordis tui ; quia sicut dicit  
Ecclesiasticus cap. 1 . Timor Domini expellit  
peccatum . & hoc facit , dicit Augustinus , median-  
te confessione . Anima enim peccata sua cogno-  
scens , & ex cognitione eorum pertimescens in-  
ducitur ad confitendum . Quid est autem pecca-  
ta sua in confessione proferre , nisi immunditias  
hospitij sui , per ostium oris , linguæ instrumentis  
eiicere ? Munda ergo cor tuum confessione pec-  
cati , velut quadam scopa , conscientia tuæ taber-  
naculum purgando : vt possis dicere illud Psalmi  
76 . Exercitabar , & scopebam spiritum meum . In  
hac exercitatione , scrutinium hominis interio-  
ris designatur , sicut dicit Augustinus , vnde ait : Se  
ipsum interrogabat , seipsum examinabat , & seip-  
sum

August.

August.

De præ-  
paratio-  
ne con-  
fessionis  
per quin-  
que si-  
militudi-  
nes.

Prima si-  
militu-  
do.

Secunda  
similitu-  
do.

Quomo-  
do mala  
sunt cõ-  
stenda,  
& nõ bo-  
na.

Tertia si-  
militu-  
do.

fum iudicabat ille, qui dicebat: *Exercitabar*, & sic sequitur: *scopebam spiritum meum*. In quo notatur mundatio spiritus per confessionem facta, quã præcedere debet exercitatio examinationis diligentis. Vnde notandũ, quòd prius dicit: *Exercitabar*: & postea, *scopebam spiritũ meũ*: vt prius te ipsum interroges, te ipsum examines, & iudices, quã ad purgandum cor tuum per confessionem accedas, vt sit præmeditata confessio ad similitudinem mundaturi domum, qui prius pulueres, & cæteras immunditias hospitij in vnum cumulum congregat, quam eas eiiciat extra domum. Ad similitudinem infirmi, qui purgandus, primò præparationem accipit, quæ prauos humores commoueat, vt medicina sequens humores commotos eiiciat. Sic tu, si prauos mores, qui sunt prauis humoribus animæ, vis per confessionem expellere, prius per diligentem examinationem eos studeas cõmouere. Attende, quantam insaniam reputares, si quis prauis in corpore retentis humoribus, bonos purgaret à corpore humores? Quantò maiori laborare insania debes reputare illos, qui bona sua à se per ostentationem emittunt, & prauos peccatorum humores in corde retinent, dum peccata retinent inconfessa? Item, si in minutione tua corporali tantum prauum sanguinem à vena brachij curas emittere, bono retento sanguine in corporis nutrimentum: discas in minutione cordis tui, quæ est confessio, taliter corruptum peccati sanguinem

sem per om̄s venam extrahere, vt intus bona tua, tanquam bonum sanguinem in cordis tui retineas nutrimentum. Noli mirari si os. *Vena* p̄; peccatum, corruptum sanguinem appellant: *Os* enim vitæ, os iusti, dicit Salomon Prouer. 10. Tunc vena vitæ os dici potest, quando causam mortis, sanguinem scilicet peccati; doloris lanceola à corde extractum emittit: à quo sanguine liberari petebat ille pœnitens, dicens in Psal. 50. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ. Attende, si tantum grauat corpus, differre, seu supportare minutionem; quantum grauat corda, differre confessionem? Item, sicut minuti facta minutione quiescere iubentur, & sibi cauere à lumine, & labore, alioquin non prodest, quin potius obest minutio: tantò magis post confessionem tuam tibi opus est à peccato quiescere, & te cautiùs custodire, alioquin tua perit confessio. Item, sit præmeditata confessio tua ad similitudinem dispensatoris patris familias, qui de expensis coram domino suo compareret, suæ villicationis rationem redditurus. Strictam tecum, charissime computationem facias, attendens omnia bona tua, tam gratiæ, quàm naturæ, & fortunæ sub numero reddenda. Tibi enim dicit Ecclesiasticus 42. Quodcumque trades, numera, & appende: datum verò, & acceptum omne describe. Et vulgariter dicitur: *Qui vit à conte, ne vit à bonte*. Attende, quod illi, qui solent annotare expensas, diem scribunt, & causam; sic tu, circum-

Confessio  
nō differenda.

Quarta  
similitudo.

B

stan-

Quinta  
similitu-  
do.

Simil tu-  
do cōfē-  
ssionis ad  
scopam.

stantias peccatum aggrauantes in computatione tuæ confessionis diligenter studeas annotare. Et sicut dilata computatio, sic dilata confessio multa facit obliuisci. Item, sit & præmeditata confessio ad similitudinem Oratoris, siue Aduocati, qui antequam coram iudice compareat, rationes, & allegationes suas ordinat, & affirmat: sic tu, coram iudice summo in foro confessionis præmeditatus accede; & tibi tantò efficacior allegatio sit, quantò grauior est accusatio. Dicis ergo: Exercitabar, & scopebam spiritum meum. Scopare enim idem dicitur, quod purgare: *Gallicè, nettier, balier*. Quid est ergo, spiritum suum scopare, nisi peccata sua confiteri? Et notandum, quod sicut scopæ plana loca facile purgat; sic confessio planas conscientias facilius purificat, non scrupulosas, non litigiosas; in quibus semper remanent aliquæ sordes, & post confessionem in eadem lima remanent; de sua confessione nullam, vel modicam confidentiam reportantes. Purga ergo habitaculum cordis tui; vt Christus Dei virtus, & Dei sapientia, inquam (sicut dicitur in libro Sapientiæ) nihil inquinatum incurrat: cor mundatum valeat habitare. Quid est enim, quod domum materialem, corporis tui habitaculum cum tanta diligentia mundas, & scopas, & domum cordis tui, quæ est habitatio Dei, scopare negligis, & mundare? Attende illud, quod dicitur tibi in Euangelio Matth. 23. Hypocrita, munda prius quod intus

intus est. Quod extra est, mundare consueverunt hypocritæ, quod autem intus est, relinquere immundatum, (iuxta verbum Ambrosii) intus in corde inhonesta, foris in conuersatione speciosa sectantes. Et hoc ad similitudinem ancillæ negligentis, & seruiantis ad oculum, quæ potos, seu lebetes cupreos hospitij cū cinere, & sabulo purgat, & mundat, & exterius fulgidos reddit: intus autem pinguedinem carniū in fundo adhærentem dimittit. Tales sunt vani religiosi, quibus sufficit, quod boni appareant, & de ipsis bene sentiat: circa munditiā affectionis, & cogitationum ordinationē, nullum, vel modicum studium adhibentes. Attende, quod operatio naturæ à corde incipit. Primum membrum, quod formatur in animali est cor, sicut dicit Philosophus, à quo quidam calor vitalis procedit cooperans aliorum membrorum formationem. Opera verò artis nihil intus agunt, sed solum extra versantur, sicut patet in sculptoribus, & pictoribus imaginum. Noli charissime viuere secundum artem, vt tantummodo oculis intuentium satisfacere intendas: sed viue secundum naturam, imò secundū gratiam, naturam quodammodo immutātem, & eam perficientem: vt à vitali calore cordis tui, idest, charitate, scilicet tota tua conuersatio componatur. Item, caueas ne sis sicut pigra ancilla, quæ iuncos virides in domo super puluerem expandit, cæteras immunditias iuncis

Ambro.

S. militudo confitentis ad ancillam negligentem, & pigram.

Primum mundandum est cor.

Secunda similitudo de ancilla pigra.

B 2 coope-

coopèriens, cum prius eas debuisset amouisse : sic faciunt, qui opera de genere bonorum agunt, & tamen de malis præteritis non poenitent, peccata celant inconfessa, & retinent. Tollas ergo à te primo immunditias vitiorum, ne super immundam aream conscientia expendas vigorem bonorum operum. ne, & si iuncis immunditiam cooperueris, impropèretur tibi verbum illud Ecclesiastici 37. O præsumptio nequissima, vnde creata es cooperire aridam malitia? Perfecti autem non solum crassam immunditiam peccatorum mortalium; sed etiam tenuissimum puluerem venialium ab hospitio cordis sui per confessionem frequentius eiciunt iuxta quod dicit Dominus per Isaiam 14. Perdam nomen Babylonis, & reliquias, & progeniem, & germen. Et post, sequitur ibi: Scopabo eam in scopa terens. Per nomen Babylonis, peccati nominationem intelligimus, quæ in vero claustrali perdi, id est, destrui debet, vt in ore eius nil turpe versetur: sicut dicit Apostolus ad Ephes. 5. Omnis immunditia nec nominetur in vobis. Per reliquias intellige crassos, & mundanos mores. Verba leuia, gestus seculares, quæ sunt quasi reliquiae mundi, quas stulti claustrales secum aliquando afferunt, & retinent in claustro, sicut filij Israel farinam Aegypti secum detulisse feruntur in deserto. Sed timendum quod legitur ibi Exodi 16. quod filij Israel non habuerunt manna de cælo, donec defecisset

Figura.

fecisset farina, quam tulerunt de Aegypto. Per manna, quod habebat omnem saporis suauitatem, spiritualis consolatio, (iuxta verbum Bernardi) intelligitur: Dilecta est diuina consolatio, nec conceditur admittentibus alienam. Ideo non fuit manna concessum filiis Israel, donec farina Aegypti penitus defecisset. Si vis ergo manna diuinæ consolationis cibari, deficiat in te farina Aegypti, id est, mores mundani, & incompositi: verba inutilia, leuia, & mundana, & cæteræ dissolutiones, quæ à fatuis recreationes appellantur: vt possis dicere illud Psalmi 76. Renuit consolari anima mea, consolatione scilicet mundana: & sic completur in te quod sequitur ibi: Memor fui Dei, & delectatus sum. Attende, quod in sola Dei memoria se dicit delectatum. Si enim in præsentia, eius delectamur memoria, quantum in futuro delectabimur in eius præsentia? Noli ergo esse de illis Regibus captiuatis, qui, sicut legitur Iudic. 1. sub mensa Regis Adoni-bezec truncatis manibus, & pedibus reliquias comedebant. Quid per mensam istius mali Regis, nisi mundana prosperitas designatur? Quid per Reges, reliquias huius mensæ comedentes, nisi illi claustrales, qui cum mundi huius commensales esse non possint, eò quod locum, & habitaculum, & modum viuendi mutauerunt, in illis vanis solaciunculis pastum quarunt, à quibus pedes piarum affectionum, & manus bonarum operationum Diabolus detruncat?

Bernar.

Nota hī  
storiā.

uit? Per germen, de quo sequitur, intelligitur cogitatio turpis, & noxia, quæ est radix in nobis omnium malorum voluntariorum. Cum enim malè cogitas, incipit plantare in corde tuo Diabolus, siue seminare. In profundum autem infigit huiusmodi radicem pestiferam, cum in ipsa cogitatione moraris, sed penetrat terram cordis tui impingendo in desiderium, seu cōsensum, quia non potest facere, nisi à te iuuetur. Terra enim liberi tui arbitrij est voluntaria. Vnde in voluntate tua est aperire eam, vel non aperire.

Desiderium est  
apertura  
cordis.

Desiderium enim apertura cordis est. Caue ergo ne Diabolus de corde tuo faciat hortum suū, siue agrum, quemadmodum Achab. 3. Reg. 21. vineam Naboth in hortum olerum voluit commutare. Non sustineas plantare, siue seminare Diabolum in corde tuo cogitationes noxias, eas admittendo, & in eis delectando, & morando, quia de fructu huius radice primus comedes, & fortè solus. Radix ista, quæ est delectatio peccati, & si dulcedinis tibi videatur; amaritudinis tamen est, interius profundè saporanti. Vide te, dicit Apostolus ad Hebræ. 12. ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat. Ideo de peccatore dicit Iob 30. Radix iuniperorum erat cibus illorum. Radix iuniperi dulcis est, sed fructus aculeatus. sic peccati delectatio, licet quandam prætendat dulcedinem, inde tamen surgunt pungitiui, & amari aculei conscientia remordentis, vel morsellum deglutientis.

Vnde

Vnde oportet, (iuxta vulgare prouerbum) tales aculeos egerere. Per progeniem non solum ipsa opera mala, sed etiam peccatorum occasiones designantur, quasi quandam attinentiam habere videntur ad peccatum, dum plurimum ad peccatum disponunt. Quare progeniem Babylonis perdere, nihil aliud est, quam peccati periculosas occasiones à se amouere. Vnde, sicut illi, qui inimicitias habent capitales, non tantum cauent ne incidant in manus inimicorum capitalium, sed etiam eis attinentes fugiunt, & vias eorum declinant: sic tu non tantum ipsum peccati corpus fugias, sed etiam occasionum, & opportunitatum progeniem, tanquam quædam peccati vestigia exhorresce, iuxta doctrinam Ecclesiastici 21. Quasi à facie colubri fuge peccata. Qui enim à colubro sibi vult cauere, non solum colubrum fugit: sed etiam vestigia colubri exhorrescit. Sunt quidam, qui peccatum non amant, sed tamen peccati vestigia amplectuntur: ut illi, qui suspectas familiaritates, inepta colloquia, munuscula, litteras amatorias, & cætera huiusmodi, quæ ad carnalem amorem viam præstant, libenter admittunt: & tales frequenter periclitari contingit. Nam sicut legitur Ecclesiastici 3. Qui amat periculum, in illo peribit. Quod autem ista quatuor perdenda sint, & à corde amouenda, determinat dominus cum subiungit ibidem, dicens: Scopabo eam in scopa terens. Per hoc, quod dicitur, terens, intelli-

Quæ sūt  
vestigia  
peccato-  
rum.

intelligitur contritio, quæ fricat, & terit immunditias cordis: per scopam intelligitur confessio, vt supra dictum est. Et per ista, & ab ijs, & per hunc modum mundanda est domus cordis, vt Deus hospitetur. Et hæc est prima cordis præparatio, quam facit timor. Qui enim timent Dominum, præparabunt corda sua, legitur Ecclesiastici 2.

*Secundum ad præparationem domus requisitum, est Ornatus.*

**S**ecundum, quod circa præparationē domus attendendum est, est Ornatus, vt scilicet domus ornatur vtensilibus necessarijs. Non enim sufficit domus mundata, si omnino vacua reperiatur. nam domum vacantem, quamuis scopis mundatam, spiritus immundus intrare legitur in Euangelio Matthæi 12. & Lucæ 11. Quid autem Christo hospiti præparandum sit signanter, exprimitur 4. Reg. 4. vbi mulier Sunamitis viro suo, de Eliseo hospite suo dixisse legitur: Animagaduero, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ei cenaculum paruum, & ponamus in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos, maneat ibi. Hoc modo, si verum Eliseum, id est, Christum velis hospitari in cordis tui cenaculo, necesse est tibi spiritualiter ista quatuor eidem

Figura.  
Quomodo præparanda ad suscipiendum Christū tāquam hospitem.

eidem preparare, videlicet, Lectulum, Mensam, Sellam, & Candelabrum. Per Lectulum Pax, seu quies conscientię, per Mensam Poenitentia, per Sellam propria diiudicatio, per Candelabrum sui ipsius cognitio designatur. Et sic de istis singulis, quę posita sunt, videamus per ordinem.

Et quid per ista quatuor signantur.

*De utensilibus domus cordis, & primo de Lectulo.*

**L**ectulus Christi, Elisei nostri, pax cordis est. **Et** Nā sicut dicitur in Psalmo: Factus est in pace locus eius, cum tu cōscientiam tuam ponis in pace, tu Deū ponis in cōscientia, & tūc efficeris lectulus Salomonis, qui interpretatur Pacificus, de quo legitur in lib. Regū: Habuit Salomon pacem ex omni parte in circuitu. Ex omni parte habet pacem, imò etiam Christus est in animo, quando ipse animus non turbatur ex memoria pręteritorum, nec inquietatur ex desiderio futurorum, nec frangitur aduersis, nec prosperis eleuatur. Notandum tamen, quòd status pacis non excludit labores torneamentorum, & exercitationes: imò in tempore pacis magis solent torneamenta frequentari. Item, pax non excludit furta, imò in terra pacifica aliquando committuntur: dico enim quòd non excludit pax labores, videlicet actionum, & turbationum. Iudicares nē exclusum à pace Apostolum, qui (sicut

Lectula est Pax.

Nota.

C cut

2. ad Co  
rinth. 11.

cut ipse scribit) in laboribus fuit plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate? Si ergo talia pateris, noli conqueri te propter huiusmodi incommoda amisisse pacem tuam, quia talia etiam in tempore pacis contingunt. Idem dico de torneamentis, quæ fiunt in tempore pacis: nec torneamentum, bellum consuevit appellari. Quid est ergo istud torneamentum, nisi concupiscentia carnis contra spiritum, & spiritus contra carnem? Hoc non est bellum, sed torneamentum, quod agitur inter ciues, & domesticos. Domestici enim sunt caro, & spiritus. Sed ab isto domestico, videlicet carne tibi cauendum est: sicut tibi dicitur per Michæam 7. Nolite credere amico; &, nolite confidere in duce: ab eâ, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Amicus socius meriti nostri datur in adiutorium nostrum. Corpus nostrum est dux etiam quodammodo, dum per ipsum actiones exteriores exercemus. Sed in isto amico, in isto duce non est confidendum, nec ei credendum, temptationibus carnis acquiescendo, & ei nimis parcendo. Vult enim caro (sicut vulgo dicitur) ad modum serui sibi teneri pedem super guttur; alioquin nunquam faciet bonam dietam. Vnde dicit Salomon Prouerb. 29. Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem. Quid autem est contumacia serui sui, nisi con-

concupiscentia carnis, repugnans spiritui ? Ideo  
benè sequitur ibidem : ab ea, quæ dormit in sinu  
tuo, id est carne, custodi claustra oris tui ; scili-  
cet interioris, id est consensum cordis . Mulie-  
res enim, id est, molles, & effœminatæ cogita-  
tiones carnis à claustro virorum, id est virtuo-  
forum motuum expelli debent . Si ergo impu-  
gnationes carnis tuæ senseris, non te dicas sta-  
tim pacem amisisse, imò te in torneamentis po-  
tius exerceri . Consensus enim concupiscentiæ  
carnis, & non sensus est tibi prohibitus . Item,  
pax non excludit furta, imò in tempore pacis Nota,  
plerunque committuntur . Minutæ enim ne-  
gligentæ, commissiones, subreptiones, & ocio-  
sæ confabulationes ad modam quorundam la-  
trunculorum ipsum tempus, de quo maxima  
iactura est, multis cum alijs bonis latenter ple-  
runque subripiunt : quos tamen si multiplicari  
in te permiseris, & de eis iustitiam facere negle-  
xeris, maiora & grauiora introducent ; & per  
sui frequentiam animam captiuabunt . Attende  
latrunculos Syriæ captiuam duxisse filiã Israel,  
vt legitur 4. Regum 5. Ideo vigilandum est cir-  
ca hæc, ne, scilicet multitudo istorum venialium,  
tanquam parui latrunculi primò introducti in  
domum conscientiæ, quasi per arctum foramen  
transeuntes, aperiant maiorem portam magnis  
latronibus : id est consensum, tanquam portam  
cordis aperiant ad maiora peccata, qui domum  
conscientiæ spolient, & denudent . Vnde Iob 19.

Quomo-  
do cauē-  
dum est  
à venia-  
libus pe-  
ccatis .

in persona illius, qui ostia cordis contra huiusmodi mala custodire negligit, conqueritur dicens: Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me. Tunc latrones sibi viam faciunt per medium cordis; quando anima, quæ deberet esse hortus conclusus, per assuefactionē malis cogitationibus se terendam, & conculcandam exponit. Si ergo per campum tuum, seu per sata tua via communis fieret, non permitteres, quin potius sepibus, & fossatis clauderes.

Ad quid ergo cor tuum ita disclusum dimittis, & de ipso quasi stratam, seu calcatam viam fecisti, ut vanis, & variis cogitationibus attritum semē verbi Dei, siue verbi boni, non recipiatur? Estne tibi de campo maior cura, quam de corde tuo? Vbi enim non est sepes, diripietur possessio, dicit Ecclesiasticus 36. Si ergo labores, & tribulationes pateris, siue in tentationibus exerceris, noti conqueri propter hoc pacem amisisse; quia ista non excludit pax, sed tranquillitas. Plus est enim esse tranquillum, quam pacificum. Tranquillitas enim addit supra pacem. Vnde postquam dicit: In pace factus est locus eius; sequitur ibi: Et habitatio eius in Syon: quod interpretatur speculum, quod pertinet ad contemplationem, quam pax præcedit. Qui enim habet pacem potest de facili contemplari, aliter non. Sicut in aqua turbida non resultat imago, nec oculus turbatus clarè videre potest: sic cor turbatum, & impacificum, nec seipsum, nec Deū

po-

poterit contemplari. Si vis ergo Christo Domino tuo in cordis cubiculo habitaculum, & locum quietis præbere; quiesce, & esto pacificus. Nec enim quiescet in te, nisi in eo quiescere appetas. Vnde ipse per Isaiam 66. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos? Veniat ergo pax, & requiescat in cubili suo: dicit Isaias 57. Pacem appellans Christum, qui non tantum pacificator, sed ad maiorem expressionem, ipsa pax nostra ab Apostolo appellatur, qui totum totaliter in nobis pacificandis se expendit, qui tam duram, & tam diram disciplinam, in cruce dorsum pro nobis ponens, pro nostra pace suscepit. Disciplina enim pacis nostræ super eum: dicit Isaias 53. Vnde post resurrectionem suam, pace Apostolis nunciata, statim ostendit eis manus, pedes, & latus, in quibus vestigia vulnorum remanserunt: quasi ostendens eis poenas, quas in faciendo pacem nostram posuerat. Noli ergo charissime, vulnera Domini tui iam curata, in corde tuo renouare. Pacem cum eo fecisti, quam (peccati reciduum infringendo) in cubili cordis tui per longos labores tuos, & vulnera, imò ipsum, (sicut supra monet Isaias) facias accubare.

Pacis vtilitas.

Luc. 24.

*Ta-*

*Taciturnitas pacis est Custodia.*

Quod  
Christus  
fit Aduo-  
catus no-  
bis tacé-  
tibus.

Luc. 10.

**C**onservatorium autem huius pacis præcipue est Taciturnitas, quæ (sicut vulgo dicitur) de omnibus pacem habet. Considera Christum peritum, & eloquentem aduocatum tuum, qui novit mores cælestis curiæ, causam tuam suscepisse defendendam, si solummodo tacueris. Hoc est solum, & totum precium, seu salarium huius aduocati. Ideo dicit Moyses Exodi 14: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Hoc liquet in taciturna Magdalena, quæ dum inter conuiuas fleret; contra Simonem murmurantem, in corde dicentem: Hic si esset Propheta sciret, quæ, & qualis est ista mulier, quia peccatrix est: nihil respondit, sed pro se habuit; Christum responsorem; parabolam de duobus debitoribus proponentem. Item, contra sororem conquerentem, quæ satagebat circa frequens ministerium, sollicita de coquina, & dicebat: Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? non respondit: sed aduocatus eius defendens causam suam statim intulit: Martha, Martha, &c. Item, contra Iudam detrahentem de vnguento effuso, & dicentem: Ut quid perditio hæc? non respondit, scilicet ipsa, sed statim defensor causæ Christus respondit: Sinite eam, nam semper pauperes habebitis vobiscum, &c. Ecce, quomodo pro tacentibus, & susti-

sustinentibus loquitur Christus: Noli ergo per  
 responsionem tuam, ad quantamcunque iniu-  
 riam tibi factam, ad quodcunque conuitium ti-  
 bi dictum, os tanti aduocati, & in tanta causa  
 obstruere, quod sola taciturnitate ad tuam de-  
 fensionem tam vtiliter aperitur. Huius silentiū  
 conseruabat Iob, ter inter verba, & verbera di-  
 cens: Nonne dissimulaui? nonne filui? nonne  
 quieui? Dissimulaui dicit, quantum ad opera;  
 filui quantum ad verba; quieui, quantum ad  
 cor. Et attende verborum ordinem: Dissimu-  
 latio enim, quæ ad mali operis cessationem spe-  
 ctat, & silentium oris quantum ad verba, quie-  
 tem cordis generat. Si vis ergo quiescere cor-  
 de, dissimula, & file. Nam, sicut fontis vena sca-  
 turienti, nisi prius fossas repleuerit adijcienes:  
 nec affluere, nec sedari, nec in altum se tollere  
 præualebit: sic cor tuum, nisi prius custodias  
 manus, & oris solerter repleas, nec ad perfectam  
 sui curam reflecti poterit, nec iucunda deuotio-  
 nis tranquillitate frui. Ideo dicitur Prouerb. 24.  
 Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce  
 agrum tuum, & postea ædifices domum tuam.  
 Quasi dicat: prius custodi opus, & linguam tuā,  
 si ad custodiam cordis, & quietem volueris per-  
 uenire. Custodiam operum tangit, cum dicit:  
 Præpara os tuum. Custodiam linguæ, cum sub-  
 iungit: Diligenter exerce agrum tuum. Nam  
 magnus ager est lingua, qui nisi excultus per  
 multam examinationem fuerit, spinas, & tribu-  
 los

Iob 3.

Similitu-  
do de Cu-  
stodia.

los germinabit. Diligenter ergo exerce agrum  
linguæ tuæ, raro, pauca, & rationabilia diligen-  
ti examinatione præcedente, loquendo: & iux-  
ta illud Prouerb. 12. De fructu oris sui vnusquis-  
que replebitur bonis. & iuxta opera manuum  
suarum retribuetur ei. Aedificatio domus, quæ  
ibi sequitur, ad custodiam cordis spectat, & quie-  
tem, quæ ex præcedentibus generatur. Ideo  
posteaquam dixit Psalm. 33. Prohibe linguam  
tuam à malo, subiungit: Inquire pacem, & per-  
sequere eam. Quasi dicat: Si à verbis aperte ma-  
lis, & dolosa detractione linguæ peperceris, fru-  
ctum pacis pretiosissimum poteris reportare,  
Pacis dico, quæ non est impijs, sicut dicit Iaias  
57. Licet enim falsam carnis pacem habeant ex-  
terius: graue tamen bellum in conscientia par-  
tiuntur interius. Vocatur autem Pax, sed non  
est pax. Vnde Cassiodorus pacem temporalem  
peccatorum describens, ait: Pax ista semper eū  
conscientia litigat, rixatur intrinsecus, & cum  
hostes extra non habeat, secum ipsa decertat.  
Væ ergo illis, qui (sicut dicitur in libro Sapien-  
tiæ) viuentes in magno conscientie bello; tot, &  
tanta mala, pacem appellant. Hæc est pax ma-  
la, qua melior est (sicut vulgo dicitur) bona  
guerra. Vnde dicit idem Cassiodorus: Pax ve-  
ra est concordiam habere cum moribus bonis,  
& litigare cum vitijs. Nam illa pax, vbi vitia nō  
impugnantur, illa est, quam defleuit Dominus  
super Ierusalem, dicens: Quia in hac die tua, non  
mea

Cassiod.  
Nota de  
pace tē-  
porali.

Cassiod.  
de vera  
pace.

mea scilicet, quæ ad pacem sunt tibi. Hæc est pax, quam deflet Dominus in Psal. 72. dicens: Zelaui super iniquos, pacem peccatorum vidēs Quia, (sicut dicit Augustinus) nihil infelicius felicitate peccantium. Ista felicitas, quæ ad pacem peccatorum spectat, in peccandi libertate consistit. Cum ergo vides claustralis anima, mundi huius amatores, per theatra, & spectacula, secundum quod à proprio affectu agitantur liberè tantumquam pullos onagri euagari, quibus, quicquid libet licere videtur, nulli correctionis disciplinæ subiacere: noli tales liberos existimare: noli cōqueri te huiusmodi libertatem amisisse, sed solū præcessionem eundi in Infernum, huiusmodi reputa libertatem. Attende Angelos liberiores homine, qui tamen peccare non possunt: & te (iuxta verbum Senecæ) tantò liberiores reputa, quantò minus potes facere, quod velle nō debes. In hoc ergo consistit vera libertas, quate Dei Filius liberauit. Nam huius mundi infelix felicitas, & inquieta, quid aliud est, nisi liber repudiij datus animæ, tanquam vxori adulteræ à Domino deferente, & abiciente? Et quid aliud, nisi cibus concessus infirmanti ad mortem, à medico desperante? Quid aliud nisi ludere de concessa licentia à magistro non curante? Quid aliud nisi munusculum à patre exhæredante? De hoc dicit Iob. 20. Scio, quod laus impiorum brevis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Habe ergo, (sicut dicit Iob 22.) pacem non cum

August.

De libertate munda inuili, & infructuosa.

Seneca.

Libertas mundi quid sit.

D mun-

mundo, sed cum Deo. Et per hoc homo habebis fructus optimos.

*Secundus ornatus domus est Sella,  
vel sedes.*

De iudicio sui ipsius.

Nota sequentia.

Capitulum à quo cuaque; & quoti die tenendum.

**D**ICTO de quietudine pacis, dicendum est de Sella. Proprie debet dici Sella sedes iudicationis; de qua dicitur in Psal. Iustitia, & iudicium præparatio sedis eius. Sicut enim magnis viris sedes præparatur, ita præparanda est sedes tribunalis Domino per iudiciū examinationis, & iustitiam executionis: ut scilicet te ipsum examines per iudicium, & per iustitiam punias, & castiges. Beati enim qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. Custodi ergo tanquam rem dilectam iudicium, & tibi ipsi capitulum teneas, te ipsum discutiendo, te ipsum arguendo, ut anima tua à vulnere peccati sanetur: quia, sicut dicitur Iob 34. Nunquid, qui non amat iudicium, sanari potest? Et honor Regis, (dicit Psal.) iudicium diligit. Tene ergo Capitulum tibi ipsi, ut accusationem cognitionis tuæ, & testimonio conscientie, quæ in capitulo cordis tanquam Abbatis præsidet, anima tua tanquam monialis rea veniam petat; se ipsam humiliando disciplinam recipiat, de excessibus suis dolendo; & quasi ad terram se deat, suæ conditionis miseriam recolens.

lendo. Væ monacho, siue moniali nunquã istud Capitulum intranti. Nonne fugitiuus, siue apostata reputabitur, qui accusationem declinat, & fugit humiliationem, & dolorem subire negligit, & contemnit; suæ conditionis miseriam, & status sui periculum non aduertens? Sustine ergo Christum visitatorem, vt te in Capitulo cordis tui flagellet: quia, Ipse est (vt dicit Apostolus ad Hebræ. 12.) qui flagellat omnem filium, quem recipit. Nec mireris, si, quod te ipsum facere dixi, eum facere dico. Cum enim conscientia tua te accusat, ipse Dominus te accusat: & ipsi Domino Deo tuo acquiescere diceris, cum conscientia tuæ acquiescis, quia ipsa vices Domini in cordis curia gerit. Vtile tibi est humiliari te sub conscientia. Licet enim tibi graue videatur viuere sub strictis legibus conscientia, multò grauius est dominium eius per euagationem animi declinare. Ideo dictum est, Genes. 16. Agar fugienti à facie Saræ dominæ suæ eam affligenti: Reuertere, & humiliare sub domina tua. Tale Capitulum tibi ipsi tenere docet Augustinus, August. dicens: Constituto in corde tuo iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, & carnifex timor. Est enim (sicut idem Augustinus dicit) temporalium confusio utilis, scilicet perturbatio animæ peccata sua respicientis, & respectione horrentis, & horrore corrigentis. Naturale est enim animali cuiuslibet scire tagere locum sui doloris, & videre. Nonne ergo contra om-

Cogita  
re de pec  
cat is, na  
turali e-  
xemplo  
admo-  
net.

nis creaturæ sensibilis naturam agis, qui tot ha-  
bes loca doloris, quot peccata; & tamen oculos  
tuæ cogitationis ab eisdem auertis? Attende,  
quod litteras delegationis, & auctoritatem iu-  
dicandi te ipsum, tibi commisit Dominus per  
nuncium suum Apostolum, primæ ad Corinth.  
11. dicentem: Si nosmetipsos dijudicaremus,  
non utique iudicaremur. Quid est ergo, quod  
causam tuæ propriæ dijudicationis tibi commif-  
sam ita negligis, & damnabiliter tibi præponis, &  
aliam iurisdictionem usurpas? Quod ad te non  
pertinet, alias cōscientias, quæ tibi incertæ sunt,  
suspiciose, & temerè iudicando. Tu quis es,  
(dicit Apostolus) qui iudicas alienum seruum?  
Nonne ipse Apostolus, primæ ad Corinth. 4. ab  
illis, qui fratribus suis detrahunt, tanquam ab  
iniquis iudicibus appellat, dicens: Nolite iudica-  
re ante tempus, antequam veniat Dominus, qui  
& illuminabit abscondita tenebrarum? Notan-  
dum est autem, quod tripliciter distinguitur iu-  
diciū de proximo. Est enim iudiciū suspicio-  
nis, quando ex re visa, vel audita de proximo fu-  
bito, oritur suspicio, & hic est primus motus; &  
secundum quosdam non est peccatum. Item, est  
iudiciū levis credulitatis, quando aliquis in du-  
bis malum existimat de proximo, non asseren-  
do, sed leuiter credendo: & hoc est veniale pec-  
catum. Item, est iudiciū diffinitionis, quando  
aliquis in dubijs certam, & determinatam dat  
sententiam in malo: & tale iudiciū prohibet  
Do-

Triplex  
iudiciū  
de proxi-  
mo.

Dominus in Euangelio, dicens : Nolite iudicare, & non indicabimini. Vnde dicitur super Apostolum : Si suspensiones vitare non possumus, quia homines sumus ; iudicia tamen, & diffinitivas sententias continere debemus. Sed cum plures sint mali, quam boni, & frequentius fiant mala, quam bona, mouet quosdam cur non liceat dubia in peius interpretari, sicut in melius? Ad quos est responsio: quod anima hominis est ad bonum cognoscendum. Vnde cum in illa sit ex parte operis discretio, & cognoscibilitas, quo animo fiat: debet anima secundum naturam suam, magis existimare bonum, quam malum. Noli ergo, o anima te ipsam denaturare, mala de incertis, & dubijs existimando. Attende, quod sicut quando funditur metallum, necesse habet recipere formam, quam in modulo inuenerit insculptam; eodem modo, qualem formam in modulo cordis tui habebis insculptam, tale factum proximi iudicabis. Sunt enim quidam, qui ita formam cordis sui habent deformatam, quod quicquid ibi ceciderit, totum efficitur deformatum. Vnde, quorum corda sunt inhonesta (sicut dicit Chrysostomus) quicquid in se sentiunt, in alijs iudicant de facili. Tales sunt sicut infirmi, quibus cibus quantumcunque sapidus sit, eis videtur insipidus, & amarus. Quod enim gustus infirmi contristatur, à cibi non est vitio, sed ab infectione palati ipsius infirmi. Eodem modo, quod de factis proximorum, ubi malum non apparet, anima infirma

Malè iudicantiū similitudo.

Chryso.

De iudicio proximi per similitudines alias.

firma malè iudicat, non à factò proximi, sed ab eius cordis corruptione procedit. Adde etiam, quòd sicut visui bifurcato, vnū videtur esse duo. Itē, baculus in aqua positus videtur esse fractus propter reflexionem vmbrae. Item, altitudines montium, seu turrium super aquam, videntur esse reuersae propter reuersionem vmbrae, quibus, & per quas videntur. Et in quibusdam speculis vultus prospicientium cornuti videntur. Eodem modo cordi peruerso, omnia peruersa videntur. Sunt enim in exemplis propositis, ex vitio vmbrae, siue idolo, siue imagine sub qua, & per quam, res videntur, quia in se peruersa est, aut reuersa: & ideo res ipsae videntur peruersae, & alterius modi, quam sunt. Ita cordibus vitiatis videntur vitata. & hoc ex vitio suae stultitiae. Propter hoc dicit Salomon Ecclesiaste 10. Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit omnes stultos aestimat. Ideo in vulgari dicitur: Credit latro, quod omnes sint fratres sui. Chrysostomus: Omnis homo secundum se alterum iudicat. Collige ex supradictis, quòd cor humanum est vas talis naturae, quòd quicquid illi reuersatum fuerit, quendam ab ipso vase trahit saporem. Nam quicquid in corde bono, & innocente erit, & cadit, totum dulce efficitur: quod autem cadit in corde venenoso, conuertitur in venenum. Sic cor dulce, amara in dulcia conuertit, malis proximorum compatiendo. Ideo non immerito cor boni claustralis api comparatur,

Chryf.

tur, quæ amaros florum succos in mel conuertit. Cor verò inuidi, & suspiciosi araneæ assimilatur, quæ quicquid fugit, conuertit in venenū. Sic cor dulce amara in dulcia conuertit, malis proximorum compatiendo. Eadem etiam pia interpretatione alienando dubia, in melius conuertendo. Item, amara conuertit in dulcia, cum super illatis sibi iniurijs gratias agit Deo, & benignè respondet, & beneficia iniurianti retribuit; iuxta mandatum Apostoli: *Malum vincens in bono*. Sed aranea, id est, inuidus detractor, suspiciosus de quocunque bono sentiet malum. De huiusmodi inuido dicit Ecclesiasticus 11. *Bona in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam*. Sunt enim quidam (vt ait Augustinus) reprehensores fratrum in minimis, & defensores sui in maioribus, qui videntes festucā in oculo fratris sui, in oculo suo trabem non vident: quos alloquitur Chrysostomus, dicens: *Qualiter in alienis vides tam parua, & in tuis actibus tam magna discurre?* Si autem te ipsum contempnis, manifestum est, quod non est procuratio, sed curiositas, & ipsum iudicas, sicut hydropticus corripit eum, cui tumet digitus, & ipse sui ventris immemor est. Sed sicut accidere dicitur Scacorum, seu latrunculorum ludo, quod quilibet in proprio ludo non ita clarè videt sicut in alterius ludo: sic homo aliquando facilius percipit defectus alienos, quam proprios. Vnde iterum dicit Chrysostomus: *Alter alterius culpam*

Nota naturā cordis dulcis, & amari, seu inuidi.

August.

Chryso.

Chryso.  
citò

citò intelligit, suam difficile: quia homo in causa alterius tranquillum cor habet, in sua verò turbatum. Perturbatio autem cordis non permittit hominem considerare quod bonum est. Iudicaris ergo, & puniaris, sicut ipse pro te Dominus iudicatus, & passus est. Vnde ipse per Isaiam 43. tibi dicit: Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes, vt iustificeris. O quam dulce verbum, iudicemur simul. Quasi dicat: Quis nostrum de me, & de te habet emendare? Si aliquid omisi erga te, & tu aliquid erga me; quid enim vltra possum facere tibi, & non facio ego? Non dedignatur Dominus (sicut dicit Iob 31. in persona eius) subire iudicium cum seruo suo. Sed quia, si cum eo stemus ad iudicium nō poterimus (sicut dicit idem Iob. 9.) respondere vnum pro mille; compellimur dicere: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Sequitur ibi: Narra si quid habes, vt iustificeris. O quam parum (quod nihil est) quod possis o homo narrare ad tuam iustificationem: & quam multa sunt, quæ narrare potes ad tuam condemnationem? Ideo compellitur Psal. 115. dicere: Quid retribuam Domino pro omnibus; quæ retribuit mihi? quasi dicat: Nihil habeo, quod pro tot, & tantis debitis valeam soluere. Item, si aliqua bona habes, non ea tanquam tua potes enarrare. Quid enim habes (dicit Apostolus 1. ad Corinth. 4.) quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

peris? Si ergo bona non habes, quæ narrare possis, narra saltem mala tua in confessione, temetipsum condemnando, ut à Deo tuo absoluaris: te ipsum confundendo, ut ab ipso glorificeris.

Est enim ( sicut dicit Ecclesiasticus 4. ) confusio adducens gloriam. Et, Prouerb. 18. iustus prior est accusator sui. Si igitur in confessione proferas sententiam tuæ damnationis, Deus præferet sententiam tuæ absolutionis, & inde dabit tibi literas. Vnde Augustinus: Si tu agnoscis, Deus

August.

ignoscit. Vnde, 2. Reg. 12. cum Nathan Propheta David reprehēdisset de adulterio, respondit: Peccavi. & dixit ei Propheta: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Vide in quali foro iste David allegauit, qui tam modico verbo totam querelam obtinuit. O quam breuis allegatio, scilicet peccantis confessio, & tam larga, & festina absolutio! Verè festina est absolutio poenitentis: nam ( ut dicit Augustinus ) sic festinat

Nota  
August.

Dominus reum absoluerè à tormento conscientiae suæ, quasi plus illum cruciet compassio miseri, quam ipsum reum passio sui. Hoc est ergo iudicium, quod Dominus requirit à te, sicut per Micheam 6. scilicet facere iudicium. Et nota, quod requirit à te non solummodo iudicium, sed quod tu facias iudicium. Latro conuictus non facit de se iudicium, vel iustitiam; licet iustitia fiat de ipso, quia inuitus patitur: sic tu non facis, si inuitus, & angariatus benè facis, quod prohibetur, 1. Petri 4. cum dicitur: Nemo autem ve-

E strum

frum patitur vt homicida; aut fur, aut maledicus, sed iustus. Dicit Psalm. 118. Feci iudicium, & iustitiam. Per hoc autē, Sedem Domino Christo tuo præparabis, cuius iustitia, & iudicium est præparatio sedis eius.

*De tertio ornatu domus, scilicet*

*Mensa.*

Mensa est  
Pœnitē-  
tia.  
Bernar.

**D**icto de sede Domino tuo in cordis coena-  
culo præparanda: dicendum est tertio de  
Mensa, per quam Pœnitentia designatur. Men-  
sam Domino ponunt, qui ad pœnitentiam agen-  
dam se præparant. Nam sicut dicit Bernard.)  
Cibus tuus Domine pœnitentia mea est. In pœ-  
nitentia enim illius delectatur, quæ pœnitentiam tan-  
quam panem manducat in humilitate, Psal. 108.  
Vnde, sicut mos est inter conuiuantes, vt vnus al-  
terum in comedendo inuitet: sic Dominus de  
cibo pœnitentiæ a te sibi præparato non gusta-  
bit, nisi tu inde gustaueris. Tunc de cibo, quem  
Domino præparasti comedis, cum in pœnitentia  
delectaris. Tunc, & tecum ipse comedit, cum  
in eadem pœnitentia ipse delectatur. Nam sicut  
dicit Chrysostomus: si tibi placet tua pœniten-  
tia, ei placet; si tibi displicet, nec ei placet. Vis  
tu, quod ei placeat, quod tibi displicet displice-  
re? Hoc enim ornamentum mensæ pœnitentiæ,  
est bonus vultus hospitis, item pœnitentis. Non  
enim

Chryso.

De hila-  
ritate in  
pœnitē-  
tia.

enim diligit hospitem mistem; & vt ita dicam  
grinnhofum. Mensam hanc poenitentiae ornare  
docet Ecclesiasticus 29. dicens: Transi hospes,  
& orna mensam. Quod dicit, Transi, refertur  
ad strenuitatem, & velocitatem, vt non pigrite-  
tur, qui talem hospitem inuitauit. Quod sequi-  
tur, Orna mensam, refertur ad inuitantis hilari-  
tatem, vt (iuxta vulgare) non ploret, quod ipse  
dat ad comedendum; sed, sicut dicit Ecclesiasti-  
cus 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum.  
Nonne quasi videreris cum impotionare velle, si  
ad cibum comedendum, quem abominaris, &  
respis, ipsam inuitares, & quodammodo effor-  
tiares? Nonne clamare compelleretur cum filiis  
Prophetarum: Mors in olla, mors in olla? 4. Reg.  
4. Fias ergo, & conuiua, & commensalis Domi-  
ni tui; vt in eadem lance, seu scutella poenitentiae  
cum ipso comedas, vt tu scilicet in poenitentia  
delecteris, & hilarem vultum exhibeas, & ipse  
Dominus Deus tuus in eadem delectetur, & se-  
ipsum exhibeat hilarem, tibi consolationem spi-  
ritualem immittendo. Qualem enim te exhi-  
bueris Christo, talem se exhibebit tibi Christus,  
dicit Augustinus. Sic enim intrabit ad te, vt di-  
citur Apocalypsis 3. Canabo cum illo, & ipse  
mecum. Hinc est, quod David Miphi-boseth  
dixisse legitur. 2. Reg. 9. Faciens faciam in te  
misericordiam, & restituiam tibi omnes agros  
Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa  
mea semper. Miphi-boseth, Os verendum in-

terpretatur, & significat poenitentem, qui cum verecundia peccata confitetur. Verba ergo Dauid sunt verba Christi ad poenitentem, cui dicit: Faciam in te misericordiam, eò quòd de te scilicet fecisti iustitiam in foro confessionis, te ipsum accusando, & puniendo: & reddam tibi agros patris tui. Quid per agros, nisi hæreditas æterna, per peccatum amissa designatur, quam reddit Dominus cum omnibus bonis suis, animæ poenitenti? Quia sicut dicit Augustinus: Poenitentia, ablata omnia restituit. Sequitur ibi: Et tu comedes panem in mensa mea semper. Panem in mensa Domini comedit, qui in operibus poenitentiae delectatur. Panis etiam appellatur tribulatio, vel persecutio, qua quisque saturari, imò impinguari debet, sicut vsus verberibus impinguatur. Iob. 10. Non leuabo caput saturatus afflictione, & miseria. Ierem. Thren. 2. Saturabitur opprobrijs. Quoties ergo tribulatio, seu quæcunque tibi offertur aduersitas, redde gratias Deo, qui tibi in pane providet. Hic est enim panis claustralis, qui tibi datus fuit ab Abbate, quando claustrum intraisti. Non ergo oportet te dicere illud Psal. 101. Arui cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Imò (sicut dicit Salomon Ecclesiastæ 9.) Comede in lætitia panem tuum. Væ illis, qui ad instar paruulorum panem tribulationis cum lacrymis comedunt, & cum marmore blasphemie, aut quando illis porrigitur, toto conatu abijiciunt. Christum,

August.

De tolerãtia tribulationum.

stium, qui stat in medio, tanquam is, qui ministrat scutellam, quam ante eos apposuit repercutientes: cum dicat Ecclesiastici 2. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe. Nonne bachellarij, torneatores ad sibilos fistularum, & sonitus tympanorum, clamores histrionum, exhortationes hiralderum inter gladios constituti sufferūt, & inferunt duros ictus? Et quando in persecutionibus lividi armorum pondere reuertuntur, totum quicquid perpeffi sunt, ludum reputant, & deductum, eo quod huiusmodi passionum morsellos comedunt cum salsa modicæ gloriæ temporalis, & quasi ventum laudis habent pro salsa. Quid est ergo, quod in omni tribulatione tua, & labore poenitentiae dat seipsum dominus Iesus in salsa, & in condimento, & cum tristitia, & necessitate facis, & sustines illud modicum poenitentiae, & tribulationis: cum illi grauiora cum hilaritate sustineant? Quod admirans Augustinus dicit: Heu quam dolendum, quam pudendum delectat, ut cuppa impleatur, ut pila iaciatur, ut fera capiatur, & non delectat, ut Deus acquiratur! Nonne ideo hoc contingit, quia si ne salsa, admodum cati, vel canis comedis hoc, quod tibi apponitur passionis, & doloris: tribulationes tuas, & labores ad Deum tanquam finem laboris, & mercedem seruitij minimè referendo: nec eadem exemplo suæ passionis temperando: secundum quod in huius figura dictum est, Ruth. 2. Inginge buccellam tuam in aceto. Quid per buccellam

August.  
Nota.  
Contra  
gentiles  
& nobi-  
les.

cellam nisi tribulationes præsentis vitæ designantur; quæ modicæ sunt ad modum buccæ, & nobis appositæ sunt ad comedendum, vt afflictione, & miseria saturemur? Quid autem per acetum nisi passionum Christi amaritudo designatur? Hæc est salsa acetosa, & medicinalis, quæ in syrupis, & oxymelis consuevit apponi. Quid est enim buccellam in aceto tingere, nisi ex consideratione passionum Christi, passiones suas temperare? Sunt & aliæ salsæ aromaticæ, quæ tibi in mensa Domini apponuntur; scilicet cogitatio æternorum præmiorum. Cum enim ista dulcescunt, quæcunque amara leniter feruntur. Dicit enim Gregorius: Cogitatio præmij minuit vim flagelli. Hoc est salsa aromatica, quæ quicquid in ea intingitur, esibile, & sapidum reddit. De qua dicit Sponsa in Canticis 5. Messui myrrham meam, cum aromatibus meis. Quid per myrrham nisi præsentium tribulationum amaritudo designatur? Myrrham autem cum aromatibus metere, est amaritudinem præsentium tribulationum spe æternorum præmiorum temperare.

Nôta.  
Gregor.

### *De cognitione sui ipsius.*

**I**N Candelabro, sui ipsius cognitio designatur: Cor enim humanum, quasi domus tenebrosa est, nisi propriæ cognitionis lumine illustretur. tan-

tantum enim habet luminis, quantum cognitionis. Væ ergo illis, qui lucernam suæ cognitionis ad res exteriores circumferunt, tam preciosam candelam ad modum tabernarij in fine Symboli computaturi, in vñibus alienis consumentes, proprium cordis domicilium tenebrosum, & turbidum relinquentes. Nonne illi sunt, de quibus dicit Bernardus: Qui multa scientes, se ipsos nesciunt. imò ( sicut dicit Gregorius: ) Graue curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandum vitam proximi exterius ducit, semper ei sua interiora abscondit, vt aliena sciens, se nesciat. Tales Deum hospitem non habent: non enim gerit morem noctuæ, auis nocturnæ, cui lux est odiosa, imò vult, vt accendatur in domo cordis tui lucerna tuæ propriæ cognitionis, vt ingrediens lumen videas, sicut ipse dicit in Euangelio Matthæi 5. & Lucæ 8. & Marci 4. Sit ergo candelabrum apud te, vt tu te ipsum diligenter examines, nec te ( sicut dicitur in vulgari ) dimittas: *En tenebres pour, y voir*. Si candelabrum istud penes te habueris, Diabolum, qui in umbra quærit, & in umbra dormit: sicut dicit Iob, à te compelles effugere. Felix si dicere poteris illud verbum Abdia stantis contra Ieroboam: Apud nos est candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperam, 2. Paralip. 13. Quid Abdias in monte significat, nisi iustum perseverantem in eminentia vitæ, qui contra Ieroboam, idest Diabolum constitutus,

can-

Bernar.  
Gregor.

candelabrum cognitionis ad illuminandum tenebras suas apud se esse designat, vt inimicus lucis Diabolus expellatur, & lucis amator Christus introducatur? Ideo loquitur sponsa in Canticis, dicens: Reuertere, vt intueamur te; quasi dicat: Reflecte supra te illum radium tuæ cognitionis exterius diffusum; vt oculus iste super cor tuum tanquam in loco debito sedeat; iuxta quod dicit Ecclesiasticus 17. de primorum parentum cognitione: Posuit oculum ipsorum super corda illorum, vt intueamur te, idest, vt ego te videam, & tu, te videas. Ecce quod dicit: Reuertere, vt intueamur te, quia non vult declinare Dominus ad hospitium, vbi hospes præsens non est, & foris vagatur. Ideo ad interiora sua reuocat Dominus animam peccatricem, dicens per Isaiam 46. Redite præuaricatores ad cor. Ad cor reuertitur, qui radium suæ cognitionis super seipsum reflectit, ad considerandum beneficia Dei erga se, vt gratus, & deuotus existat, misericordiam eius speret, iustitiam vt timeat, plagam peccatorum suorum vt doleat, conditionis suæ vilitatem consideret, vt humilietur, præsentium vanitatem contemnat, finis incertitudinem attendat, vt sollicitus inueniatur, vel efficiatur temperatus. Hic enumerata sunt septem, circa quæ tua debet versari cognitio, ideo fortè septem lucernæ in candelabro luminis fuisse describuntur, Exodi 25. Et septem oculi super lapidem vnum, Zachariæ 3. in signum,

Nota  
ista.

num, quodd circa ista septem versari debet humana consideratio.

*De custodia quinque sensuum.*

**D**icto de præparatione domus cordis quantum ad purgationem, & ornatum, accedamus ad tertium, quod ad præparationem domus interioris spectare diximus; ut videlicet portæ eius custodiantur. Portæ nostræ, sensus nostri sunt, videlicet Gustus, Tactus, Visus, Auditus, & Odoratus. Per hos enim sensus, quasi per quædam ostia, anima ad exteriora exit, & interiora inueniant ad animam. Portas istas custodire nihil aliud est, quam delectationes sensuum reprimere. Exit anima per portas has, quando ad actiones exteriores se ingerit, quod pertinet ad actionem, quod cum maturitate faciendum est, & etiam cum timore. Ideo dicit Iob 29. de seipso: *Procedebam ad portas ciuitatis.* Portæ ciuitatis, sensus nostri sunt. Quid est ad portas ciuitatis procedere, nisi cum maturitate, & discretionem ad actiones exteriores exire? quod notatur per hoc verbum, *Procedebam.* nam procedere est quasi cum quadam maturitate incedere. Sicut enim nobiles in gressibus suis habent ostiarios ante se cum baculo, turbam arcentes, ne opprimantur; sic anima iusti quando exit ad loquendum, ad audiendum, & ad videndum, timo-

F

rem

Nota  
de timo  
re, qui  
ostiariorum  
compara-  
ratur.

rem habet pro ostiario. Nunquam enim sine isto ostiario tibi est exeundum. Timor autem totum infernum habet pro baculo ad turbam importunarum cogitationum repellendam, ne anima comprimatur. Turba te comprimit, dictum est in Evangelio Lucæ 8. Unde nota, quod Iesus, id est salus animæ, premitur, comprimitur, opprimitur: premitur mala cogitatione, comprimitur peccati delectatione, opprimitur consensu. Per consensum enim peccati, vita spiritualis extinguitur in anima: quod notatur per oppressionem. Accedat ergo ad te ostiarius cum baculo, id est, timor Mortis, Purgatorij, Iudicij diuini, & Inferni: quæ omnia sunt baculus timoris, ut turbam tentationum, & cogitationum carnalium frequentiam arceat, ne premaris, comprimis, opprimaris. Ostiarij, ribaldos, & suspectas personas repellunt, ne super collum domini sui se ingerant. sic timor Domini expellit peccatum, ut dicitur Ecclesiastici 1. Tali ostiario caruit princeps ille, de quo legitur, 4. Reg. 7. quod in porta Samariæ à turba fuit conculcatus. Tali ostiario caruit Dina filia Iacob, Genes. 34. quam curiositas, non necessitas egredi fecit ad videndum mulieres illius regionis, quæ à Sichem filio Hemor est oppressa, ut legitur Genes. 34. Nam curiositas videndi vana, audiendi noua, viam præstat ad corruptionem. Tali ostiario caruit Esau, qui frequenter ad venandum egrediens, benedictionem patris amisit, quem Iacob domi-

ma-

manens supplantavit. Genes. 27. Per Esau significantur illi inquieti, & gyrovagi, qui ad exteriora solatia, conscientia relicta, se ingerunt, quibus aer claustrum non est sanus, quibus nihil est molestius, nihil inquietius quiete. Isti sunt venatores delectationum, & consolationum carnalium, qui Patris celestis benedictione priuantur. Quid per Iacob intelligitur, qui domi manebat; nisi quieti, & pacifici, qui in solius conscientiae testimonio gloriantur? Hæc est omnis gloria filiae regis ab intus. Psal. 44. Ideo in lege iubet Dominus, Leu. 1. Os turturis retorqueri ad ascellas. Os ad ascellas retorquere, est delectationes, & consolationes suas in suis intimis haurire. Hinc est etiam quod Nahum 3. tibi dicitur: Aquam propter obsidionem hauri tibi. Nota, quod homines obsessi in castro, non habentes aquam putei, vel cisternæ, cum magno timore, & periculo ad hauriendum aquam, ad inimicos exeunt. Attende animam tuam, quasi castrum obsessum: per aquam refrigerium cordis, seu consolationem intellige. Dicitur ergo tibi: Hauri tibi, id est, apud te aquam propter obsidionem; quod est dicere: in intimis tuis, in testimonio conscientiae tuæ, tanquam in fonte aquæ viuæ refrigeria consolationum tuarum haurias: ne si fons iste vermibus, id est, remorsionibus plenus fuerit: quasi compellaris in periculum, & damnum tuum, ad calumniosas aquas consolationum exteriorum cum Pharaone exire. In intimis tuis cum Iacob mane, ut bene-

Nota i.  
sta  
sep-  
tem.

Nota.

dictionem Patris cælestis, tam gratiæ, quàm gloriæ valeas impetrare. Tene ergo te in domo conscientiæ tuæ per meditationem, contemplationem, & orationem, vt clauso officio sensuum exteriorum ores patrem tuum. Bibe ergo aquam de cisterna tua, sicut dicitur Prouerb. 5. Aquam haurias de fontibus Saluatoris, vt dicitur Esaïæ 12. ne ad aquas exteriorum consolationum hauriendas ad plateas te oporteat exire. In omnibus enim plateis erit plāctus, & in cunctis, quæ foris sunt dicetur, væ, væ: dicit Amos 5. Per plateam intelligitur lata via, quæ ducit ad mortem. Per illos, qui foris sunt, significantur illi, qui relictis interioribus suis delectantur. Istis dicit Amos, væ, væ. Videlicet culpæ in præsentī, væ poenæ æternæ in futuro. Tales ducunt vitam ioculatoris, siue histrionis, qui nunquam peius habet, quam in suo hospitio, vbi nihil attrio frigidius, & ideo penuria compulsus ad coquinas alienas impudenter se ingerit, & mappam alienam super genua sua trahere consuevit. Tales sunt omnes, qui ad habendas istas delectationes exteriores, & extraneas, totam cordis sui intentionem conuertunt in istorum temporalium inquietudine, & vanitate: quietem, & satietatem, quasi saginam in lecto canis quærentes, de quibus dicit Ecclesiasticus 40. Vir respiciens mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus. Mensa aliena, siue cibus alienus, est omnis delectatio à Deo aliena, & ei contraria. Hoc est enim mel syluestre,

fit, dulcedo scilicet à Deo extranea, cuius esu Ionathas filius Saul, 1. Reg. 14. sententiam mortis incurrit, sed populi precibus, quasi cum violentia fuit ereptus: in quo notatur virtus orationis multorum. Difficile est enim preces multorum non exaudiri, dicit Augustinus: Talis, inquam, non cogitat unde viuit, id est, non percipit quid comedit; & verè non percipit. Nam huiusmodi solatiunculae, quibus satui (secundum vulgare) repascuntur, carà nimis, & cordi benè disposito sunt penitus aliena. Verè cara; nam mundus gerit morem pauperis nebularij, qui super conuiuantes se ingerens, sub spe xenij nebulas suas carè vendit. Gerit etiam morem tabernarij dolosi, qui potatoribus suis facit anticipiũ, siue auantagium farcimine, vel carnibus salis, vel plus de vino suo bibant, & sic eos grauiori estote, seu symbolo valeat compellere. Iuxta prae-dictas similitudines, attende diuitias & honores huius saeculi, quæ multis vel à progenitoribus, vel à casu proueniunt, xenia esse nebularij, quia plus, in infinitum auferunt, quam afferant. Pacem enim tranquillitatem animi, & sui cognitionem tollunt: solitudinem tribulationum, & oculorum interiorum obscuritatem relinquunt. Hæc sunt Xenia, quæ multorum oculos excæcant: sicut dicit Ecclesiasticus 20. Hic est datus insipientis, qui non est utilis, sicut dicitur in eodem. Noli ergo reputare doctum, quod tam carissime constat. Propter hoc dicit Seneca: Carissima

August.

Seneca

rissima reputamus, quæ carissimè constant: Attende damnosissimam commutationem, vbi temporalia se se huiusmodi offerunt, seu afferunt, & ipsum hominem à se auferunt: vt homo miser iã non suus sit, sed potius rerum suarum, vt idem dicit Seneca: Nostri essemus, si nostra nō essent.

Seneca.

Similitudo.

Attende etiam iuxta aliam similitudinem morē dolosi tabernarij hospitibus suis, quos sibi scilicet suis honoribus tenet obnoxios huiusmodi facere auantagia, vt eò facilius voluptatibus inebriantur, quò sibi paratiorem habent materiam voluptatum. Pauperes enim, qui huiusmodi bonorum, & diuitiarum auantagia non habent, minus bibunt de vino mortifero voluptatum: & hoc, quia non habent (secundum vulgare) cum quo possint certare, seu tam ponere cum vino.

Nota.

Ne doleas charissime, auantagia huius tabernarij tibi esse subtracta, imò gratias agas Christo tuo, qui ex huiusmodi subtractione auantagij, te ab hauſtu superfluo voluptatum temporalium voluit referuare: vt sic in fine, quando computare oportebit de expensis; tantò facilius, & leuius possis à computo expediri, quantò tenuiores expensas mundus tibi ministravit. Attende, quòd stultum detrahare solet de salario mercatoris necessitas computandi. Vnde quia de profusis, seu largis expensis ad strictam computationem oportet reuerti, dicitur in Apocalypsi 18. Negociatores terræ flebunt, scilicet, in soluendo, qui fortè referunt in expendendo, quando dicitur

tur illis: Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum. Sunt etiam huiusmodi mundana solatia, ( sicut supra dictum est ) cordi bene disposito penitus aliena. Superbus enim & ambitiosus pascit ventum, seu pascitur vento laudis scilicet, & opinionibus hominum. Isti sunt illi Ephraim, de quibus dicit Dominus Oseæ 12. Ephraim pascit ventum. Auarus terram comedit cum serpente; cum filio prodigo filiquis porcorum satiari cupit immundus. Cum ergo vanitatis, cupiditatis, siue carnis tentatio tibi offertur; esto velut stomachosus epulator, qui cibos immundos, seu non bene conditos, aut paratos, vertit in faciem apponentis. Sic tu cum indignatione tentationem à te reieceris, quasi scutella, tua Diabolum in fronte percuties, & confusum recedere facies, qui tibi tam inconuenientes cibos præsumpsit apponere. Ideo dicitur primæ Petri 5. Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Reijce ergo à te tentationem, tanquam cibum abominabilem à Diabolo tibi appositum, vt de te possit dici illud Iob 33. Abominabilis fit ei in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis. Quid per panem in hoc loco, nisi tam carnis, quàm mundi delectationes designantur? quæ panis mendacij in Proverbis 23. appellantur: eò quòd non satietatem, sed potius exinanitionem inducunt, licet ad modicum videantur tempus famem istam repellere, sed paulò post acrior redit temptatio. Atten-

de,

Nota.

De modo  
refi-  
stendi  
tationi-  
bus.

de; Quid est concupiscentia carnis, nisi fames voluptatis? 1. Ioan. 2. Quid est concupiscentia oculorum, nisi fames diuitiarum? Quid superbia vitæ, nisi fames honorum? Et sic generaliter omnis peccator fame perit; ita, ut possit verè dicere cum filio prodigo, Lucæ 15. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Mercenarij in domo patris; sunt iusti in regno vitæ æternæ, pro qua seruiunt, mercedem expectantes: qui abundant veris consolationibus. Et post dicit: Ego autem hic fame pereo. Sic ergo tibi ò poenitens, iste panis mendacii abominabilis, qui dum in statu peccati maneres, tibi desiderabilis videbatur. Attende autem, quod in tua potestate non est, ut Diabolum prohibeas, quin ipse tibi cibos mortiferos non apponet: tentationes scilicet abominabiles cordi tuo offerendo. Sed de tali cibo tibi appposito comedere, vel non comedere, tuæ totaliter dimittitur potestati. Cum autem cibus visus non mutet corpus, nisi gustatus, vel comestus, non est tibi timendus, si cogitationes blasphemiarum, infidelitatis, seu quarumcunque aliarum abominationum occurrerint cordi tuo. Cor enim tuum in aliquo mutare non possunt, nec cordi nocere, dummodo à gustu, seu gustatione, & esu consensus, & placentiæ volueris abstinere. Nota illam differentiam inter delectari in peccato, circa consensum, & ipsum consentire, quæ est inter illud gustare, quod dicitur Gallicè *assaiier*, & comedere. Con-

tin-

tingit enim quandoque gustare cibum, cum scilicet parum rei gustabilis prælibatur, & tenetur super linguam sine deglutione, tamen sicut fieri contingit cum probatur cibus, si sufficienter sit salatus, si piperata sit, sufficienter bullita. Comedia autem dicitur, cum in corpore funditus trahitur. Eodem modo, sunt quidam, qui cibum mortiferum à Diabolo in temptatione oblatum nollent comedere; per consensum tamen quodammodo gustare dicuntur, dicitur in turpi delectatione cor suum cadere quadam ignavia, & sine aduersione periculi sui immorari permittit. Attende charissime, quam periculosum est gustare, quod tam mortiferum est deglutire. Et, sicut gustatio multiplicat aliquando vni haussui equi pollet, sicut patet in illis, qui probant vinum; sic frequens delectatio plerumque inducit consensum. Si ergo tu times mortem animæ, quam facit consensus peccati, discas timere tale delictum in cogitatione peccati: quia licet animam perire non interficiat, tamen disponit ad mortem. Noli ergo contemnere cibaria huius mentis aliena, de qua tibi superius est dictum: attendis quod in Danielis, primo de eodem legitur, quod in corde suo proposuit, ne pollueretur cibaria mensæ Regis Babylonis. Rex iste Diaboli significat, cuius mensæ cibaria sunt superbia, & voluptates, quæ non pascunt, sed potius pollunt. Noli ergo vitam ioculatoris ducere extra hospitium propriæ conscientie euagando, ne in

G

ta-

taberna voluptatis mundanae, pro tam vilis cibo  
 menſe alienae, damnationis ſymbolo condem-  
 neris. Non recedat à te timor Domini, qui ad  
 modum oſtarij ducit animam, & reducit, dum  
 eam ad exteriora cautè dirigit, & ad interiora  
 ſua ipſam redire compellit, & ſuſpecta mandi  
 confortia declinare facit. Quia, ſicut dicit Sa-  
 lomôn Prouerb. 15. Per timorem Domini de-  
 clinat omnis à malo. Attende, quòd timor mun-  
 danus, qui in illis eſt, qui timore praelatorum  
 tantum à malis cauent, vel timor ſecularis, qui in  
 illis eſt, qui tantum timore Inferorū à peccatis abſti-  
 nent, nō eſt oſtarij, qui talis timor eſt ſine tra-  
 ſitate, qua eſt vita aliarum virtutum, eas mouens,  
 & perficiens: ſed eſt quaſi oſtarij pictus, ſicut in  
 hoſpitij aliquorum diuites ſolent depingi, magi-  
 ſtri ſcholarum, tenentes clauas elatas, quaſi ve-  
 lit ingrediētes percutere, & ingreſſum pro-  
 hibere, quod tamen non faciunt. Sic timor, qui  
 ſine amore eſt, & ſi peccatum videtur prohibe-  
 re, tamen non omnino prohibet, eo quòd (ſicut  
 dicit Auguſtinus) In ſic timore ſequeretur in-  
 quitas, inſpectaretur iniquitas. Caſtodi ergo,  
 o chariſſime, portas ſenſum, ne Chriſtus placidus  
 hoſpes anime, de quo in libro Sapientiae cap. 7  
 dicitur, quòd In animas ſanctas ſe tranſfero à  
 preſſura tentationum ſuperueniente moleſtiam  
 in tuo hoſpitio patiat, ſeu (quod grauius eſt)  
 expulſionem. Moleſtatur quodammodo Chri-  
 ſtus in cordis hoſpitio per malarum cogitatio-  
 num

Nota de  
 timore  
 mūdano  
 & ſerui-  
 li.

nam frequentiam, & expellitur per consensum. Tunc verè, iuxta verbum Ieremiæ 9. Ascendit mors per fenestras nostras. Quid est per fenestras mortem ascendere, nisi concupiscentiam peccati, per ipsum consensum cordis, usque ad consensum animæ pertransire? Sed attende, quod mors ad te intrare non potest, nisi ipsam voluntate, vel consensu attraxeris in mortem tuam, hostes proprios introducens. Hinc legitur, 2. Reg. 4. quod Isboeth à latronibus dormiens in lectulo interfectus est, eo quod mulier purgans triticum obdormierat, quæ portam custodire debebat. Quod exponit Gregorius his verbis: Ostiaria triticum purgat, dum mentis discretio virtutes à vitijs separat, quæ, si obdormierit, in mortem proprii domini insidiatores admittit; quia dum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animam iter pandit. Attende, quod cor peccatorum, quasi domus disclausa est, quæ depredationi patet, & rapinæ, imò sicut nauis, in qua ex omni parte intratur, qui locus est clamoris, & tumultus, in quo nullum silentium tenetur, locus proprietatis, in quo nihil commune habetur: locus famis, & inquietudinis, in quo nec comeditur, nec dormitur: locus venditionis, & emptionis, in quo omnia, quæ ibi sunt, venalia exponuntur. Verè tumultus est cor peccatoris, in quo (secundum vulgare) nec Deus tonans comminationibus audiri potest. Verè tumultuosus est cor peccatoris;

*Nota de consensu peccati, & tentationum.*

*Discretio ostiariæ comparatur.*

f. al. tu-  
mulum

vbi tot cogitationes tumultuantes, & impacate  
versantur, & sibi a diuicem contrarie: Vnde  
hæc est ciuitas posita in tumultum, sicut dicit  
Isaias 25. Verè locus proprietatis est cor pec-  
catoris, vbi regnat proprietaria cupiditas, vbi  
deest illa charitas, quæ sola communis propriis  
anteposit, illa inquam charitas, quæ quicquid  
habent alij, suum facit, & quicquid ipsa habet,  
facit aliorum. Verè locus famis, & egestatis est  
cor peccatoris, ad modum domus ioculatoris,  
vbi nilulatio frigiditas continetur. Egestas enim  
à Domino, in domo, id est in conscientia, impij  
dicit Salomon Proverb. 3. Verè locus inquietu-  
dinis est cor peccatoris, in quo ipse ad modum  
mulieris prostituta, pedibus suis, id est, affecti-  
bus subsistere non potest, vt dicitur in eodem.  
Verè locus venalium est cor peccatoris, vbi quæ  
cunque pretiosa vendi nobis exponuntur, id est  
personarum spiritus dicitur Ecclesiasticus 10. Quia  
animam suam venalens habet, & pro quibuslibet  
in delectationis momentaneæ animam præcio-  
sam vendit Diabolo. Ideo dicitur Proverb. 23.  
quod Cor iniquorum præmihi non habeo, & nichil  
rursus dominus patris celestis, propriam videlicet  
conscientiam in, & in, & in, & in, & in, & in,  
tionis committit in Nostram nihil in offerre,  
quæ tanto pretio erit Christo comparata. Appen-  
dente ex pretio, dicit Augustinus. Nam Chri-  
stus tantum, sicut idem dicit, vbi solus posside-  
ret, tantum dicit, & in, & in, & in, & in, & in,  
san-

sanguinis ad hoc formam euacuaret, & tunc tunc;  
 & quasi nihil remansit in bursa, cum sanguis ef-  
 fusus fuit, vsque ad aquam quando Vnus militi,  
 Ioanni. 19. lancea latus eius aperuit, & continuo  
 exiuit sanguis, & aqua. Attende, quam pericu-  
 losum est homini capitale inimicitias habenti in  
 domo discussa, votum ~~hanc~~ dormire. Cum ergo  
 inimicitias contra Diabolum habeamus, qui tam  
 quam leo rugiens circumit, querens quem deuor-  
 ret, sicut dicitur 1 Petri 5. Quanta insania est de  
 corde tuo ~~ballam~~ facere, portas videlicet sensuum  
 tuorum ad delectationes rerum exteriorum aper-  
 tas relinquendo; & ipsam eor. eundem de pos-  
 sessionibus, tanquam inimicis. et de his inimicis ex pos-  
 tum sine clausura dimittere? Videntur etiam tan-  
 los censuarij esse Diaboli, a quibus ostia portarum  
 id est custodiam sensuum deportauit. Ideo in  
 persona peccatoris conquiratur Iob. 30. inimi-  
 cos suos per portas super ipsam irruisse, dicens;  
 Quasi rupto muro; & aperta ianua irruerunt so-  
 per me, & domus mea miserias deuoluti sunt. Mur-  
 us rumpitur, dum timor Dei, qui est quasi clau-  
 sora anime, postponitur. Vel in muro, virtutum  
 munimento significatur. Tunc autem murus rumpi-  
 tur, cum virtutum munimentum dissipatur. Hinc  
 legimus, quod Esdras exiens per portam vallis,  
 considerauit murum Ierusalem dissipatum. No-  
 h. 2. Per portam vallis, humilitas designat-  
 ur. Per hanc portam exire necesse est eum, qui  
 multo minus, & defectus suos cognoscere. Ten-

Nota hi-  
 storiam.

Nota de  
Humili-  
tate.

tum enim habes cognitionis, quantum humilita-  
tis. Inter enim sapientes, sapientior est, qui hu-  
milior inuenitur, ait quidam Philosophus. Ianua  
aperitur, quando custodia sensuum negligitur, &  
sic anima ita disclausa, & exposita spoliatur om-  
ni spirituali possessione: quis, sicut dicit Eccle-  
siasticus 36. Vbi non est sepes, id est, custodia  
sensuum, diripietur possessio. Hæ sunt portæ  
fluviorum, de quibus scriptum est Nahum. 2. Por-  
te fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum  
dirutum est. Per portas fluuiorum, nihil nisi sen-  
sus hominis significatur; per quos scilicet, quasi  
per quasdam portas materialis concupiscentiam  
tāquam quidam fluuij transiunt ad animam sub-  
mergendam: ita vt frequentius clamare com-  
pellatur: Saluum me fac Deus, quoniam intraue-  
runt aquæ vsque ad animam meam. Psal. 68. Tē-  
plum ad solum deiicitur, quando anima, quæ est  
templum Spiritus sancti, ad terrena desideria in-  
clinatur. Ecce quam necessaria est custodia por-  
tarum istarum. Ideo felix, qui dicere potest illud  
verbum Euangelij Lucæ 11. Ostium meum clau-  
sum est, & pueri mei mecum sunt in cubili. Per  
clausuram ostij, sensum custodia; per cubile,  
secretum conscientie; per pueros istos, cogita-  
tiones, & affectiones suas ad interiora reuocatas,  
designantur. Quid est ergo secum pueros in cu-  
bili suo habere; nisi cogitationes, & affectiones  
suas ad interiora reuocare? Hinc Moyses gre-  
gem minasse ad interiora deserti legitur. Isti sunt  
pueri

El 1307  
175102

pueri vagi, & instabiles, qui vix in domo conscientiae detineri possunt; imò ad modum filiorum trutinorum de ostio in ostium discurrentes gementes ad ostia, & panem quærentes, dum ad manducandum delectationes, solatia mundana; cogitationes, & affectiones; cum labore, & pudore egrediuntur. Ideo lamentatur Ieremias Thren. 1. Omnis populus eius gemens; & quærens panem. Parvuli panem mendicantes cum quodam gemitu consueverunt clamare ad ostia: sic peccatores panem quærendo gement, & gementi panem quærent; dum cum gemitu, id est, remorsu & angustia conscientiae panem volup-tatis, quasi ostiatim mendicant, & solatiuntur. Exterius modò hac, modò illuc captantes: & manducando illa, remorsum seu gemitum conscientiae patiuntur. Et, quia familia cogitationum, & affectionum, quæ in hospitio cordis detineri deberet, & circa eius negotia occupari, in tantum periculum egreditur: lamentatur Ieremias dicens in persona peccatoris, Thren. 1. Parvulini ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. Parvuli in captivitatem ducuntur, quando cogitationes circa vana, affectiones circa carnalia detinentur. Ex hoc dicit, Ante faciem tribulantis: sicut qui capis prædam ante castrum, ante se fugat eam, & ab hospitio paulatim elongat; sic homo per cogitationum varietatem, & affectionum corruptionem paulatim à se ipso recedit, & elongatur. O quam periculosum est à se ipso re-

ce-

cedere, & se ipso elongari! ne accidat tibi, sicut filio prodigo, Lucae 15. qui abiens in regionem longinquam, effectus est custos porcorum famelicus. O quam bonum, & quam iocundum apud te ipsum remanere, & tibi socium esse. Felix, qui sibi ipsi societatem tenere potest, ut possit dicere illud Isaia 8. Esce ego, & pueri mei. Pueri isti (ut supra expositum est) sunt cogitationes intellectus, & desideria affectus, quae sunt quasi quaedam magna familia in domo cordis, qui debent rationi subiacere, inter quos ratio quasi media, & regina est gubernans familiam istam, ut dicit Seneca: Multos gubernabis, si ratio te metipsum gubernauerit. Aliorum regnum non est: alioquin dignus, qui ratione sua non regitur, qui plus impetu fertur, quam autum. Haec de sensuum custodia dicta sufficient.

Seneca.  
Nota bene.

### De Sacramento Altaris.

**D**icto quomodo preparari condebet Domino, sicut domus ad magnam hospitium accipiendum: nunc ad secundam faciem preparationis cordis accedamus: scilicet quomodo preparari debet Domino cor, ut eibus ad comedendum. Hic est enim cibus, quo pater noster: verus Isaac libenter vescitur, prout Rebecca filio suo Iacob dixisse legitur Gen 27. Attendit, quod Christus Dominus tuus, qui seipsum in cibum tibi tam diligenter, tam studiosè preparavit in Sacra-

cra-

mento videlicet Altaris : pro symbolo tanti con-  
iunij à te vicem reddi petit, vt te ipsum in cibum  
eidem studeas præparare : vt sicut ipsum come-  
dis, ita te ei esibilem exhibeas, prout docet Salo-  
mon Proverb. 23. dicens : Quando sederis, vt co-  
medas cum principe, diligenter attende quæ ap-  
posita sunt ante faciem tuam : scito quia talia o-  
portet te præparare . Hoc vltimum verbum est  
secundum aliam translationem. Dicit ergo : Quā-  
do sederis in mensa videlicet altaris, vt comedas  
cum principe, id est, cum Christo, cum quo, &  
quem comedis in altari, attende quæ sunt posita  
ante faciem tuam ad comedendum, quia panis  
vitæ, qui de cælo descendit, Ioann. 6. Et sangui-  
nem vultu bibere meracissimum, Deuter. 32.  
Christus in cruce fuit quasi vna pressa in torcula-  
ri, vt vinum sui sanguinis nobis propinaret . Ipse  
enim comparatur botro Cypri, Cant. 1. Ipse bo-  
trus allatus est de terra promissionis, Num. 13.  
Attende ergo, quod appositum est ante te in mē-  
sa altaris . Agnus videlicet immaculatus, quem  
iuxta legis mandatum, Exodi 12. comedere de-  
bes cum lactucis agrestibus, id est, cum dolore,  
& contritione de peccatis. Attende, quod ap-  
positum est ante te in mensa altaris, Panis videli-  
cet, de cælo, sine labore omne delectamentum  
habens & omnem saporis suauitatem, sicut scri-  
ptum est in libro Sapientiæ cap. 16. quod ad li-  
teram de manna, spiritualiter intelligitur de Eu-  
charistia . Vnde Saluator de se dicit Ioan. 6. Ego

H sum

sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & Qui credit in me, non sitiet vnquam. Attende, quod natura huius panis de cælo, qui est manna, quod fuit datum populo Israël in deserto, Exodi 16. talis erat, quod liquefiebat ad Solem admodum niuis, & condensabatur, & indurescebat ad ignem, Numer. 11. Vnde in lib. Sapientiæ cap. 16. dictum est de manna, quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo Solis radio calefactum tabescebat. Obediebat enim manna Soli, quia naturæ cælestis erat. Igni verò, qui dissimilis erat naturæ, non cedebat, sed indurescebat, & ipsi calori ignis resistebat. Nota, & attende primo differentiam inter calorem solis, & inter calorem ignis. Calor Solis generatiuus, & conseruatiuus, quia facit hæbas, & plantas fructificare. Calor ignis destructiuus, & consumptiuus. Fructificat igitur calor Solis, consumit calor ignis, & destruit. In calore Solis notatur charitas: Nam, sicut sine Sole, id est, charitate non perficitur opus gratiæ, sicut enim à calore Solis oriuntur semina terræ: ita à charitate oriuntur bona opera, & interiora. In calore autem ignis, qui destructiuus est, notatur cupiditas, siue carnalis concupiscentia. Hic est enim ignis, de quo Proverb. penult. dicitur: Ignis nunquā dicit sufficit: quia cupidi diuitiarum delitiarum, & honorum nunquam possunt satiari, vel impleri. Quid est ergo, quod manna ad Solem liquefiebat, & ad ignem † indurebat: nisi quia Eucharistia

Differen-  
tia inter  
calorem  
solis, &  
ignis.

† magis  
vsitatum  
indure-  
scebat;

ristia significata per manna quando recipitur ab anima, vbi est calor Solaris, id est, charitas, liquefit; id est, ipsam animam liquefcere, & resolvere facit in diuinum amorem, & deuotionem? Vt talis anima corpore Christi sic recepto possit dicere illud Cant. 5. Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus loquutus est. Cum verò illud Sacramentum recipitur ab anima, vbi est calor ignis, id est, concupiscentia mala, indurescit, id est, talem animam corpus Christi sic recipientē indurare facit per obstinationem. Vnde nullo- rum corda hominum ita indurata, & obstinata sunt in malum, sicut illorum, qui frequenter indignè recipiunt corpus Christi. Proba ergo te ipsum, qui ad Sacramentum Altaris accedis, vtrū calorem Solarem habeas, an calorem igneum; id est, vtrum charitatem, an cupiditatem: quia necesse habes ex hoc Sacramento cum illud recipis, vel liquefcere in amoris dulcedine, si cum charitate recipis: vel indurari in obstinatione, si conscius mortalis peccati ad illud præsumis accedere. Et per hoc notatur natura huius Sacramenti. Considerare autem est, quòd sub multi-  

Nota 7

plici similitudine ipsum manna determinatur, ad monstrandum, quæ sunt illa, quæ recipimus in altari. Dicitur enim Numer. 11. quòd manna simile erat grano pilo- tuso, in similitudinē Bdel- lij, & pruinæ, & sicut semen Coriandri. Istis similitudinibus adaptatur manna, vt per hoc triplex substantia, quæ sub isto Sacramento sumitur,

H 2

tur, designetur: corpus scilicet Christi, & Anima, cum Diuinitate. Hæ tres substantiæ, quas nobis in altari apponuntur, per similitudines positas superius exprimuntur, scilicet Granum pilotusum, Bdellium, Pruinam, & Coriandrum. Granum quippe ipsum corpus Christi fuit: vnde in Euangelio comparat se grano frumenti, dicens: Ioan. 12. Nisi granum frumenti cadēs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sed pilotusum dicitur hoc granum, siue frumentum, quia tritum, siue attritus fuit Christus in corpore per flagellationes, poenalitates, & attritiones, quas sustinuit ipse in corpore suo pro peccatis nostris. Quid aliud fecerant Iudæi, & illi persecutores Christi, nisi quia pilauerunt frumentum nostrum? Vnde nihil aliud fecerunt, quam aptare cibum nostrum, sic Christum atterendo. Vnde de ipso dicit Isaias 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Sic ergo quantum ad considerationem Corporis Christi dicitur manna, per quod Altaris Sacramentum significatur simile grano truso. Quantum vero ad considerationem animæ Christi, qui in hoc Sacramento recipitur, dicitur de manna, quod erat simile Bdello. Nota, quod Bdellium arbor est, à qua fluit gutta, quæ lucidissima est, & amara: sic anima Christi lucida fuit quantum ad puritatem, seu claritatem rationis, quæ vtique propter vehementiam passionis nunquam fuit perturbata, vel concussa.

Ideo

Christus  
cõpara-  
tur gra-  
no fru-  
menti.

Grano  
pilo tu-  
so.

Cõpara-  
tur Bdello.

Idco dicit Isaias 42. de Christo : Non erit tristis, neque turbulentus , quantum ad rationem scilicet : quantum ad sensualitatem tristis fuit , vel in amaritudine . Vnde non immerito animā eius per guttam claram, & amaram significatur . Sic ergo per Granum pilo tusum corpus Christi, per Bdellium autem arborem scilicet, à qua fuit gutta clara & amara, ipsa anima designatur . O quā clara fuit anima tua Iesu ab omni ignorantie nebula, ab omni peccati caligine depurata ! O quā amara dum fleuisti super Ierusalem, eius prosperitatem intuens, & extrema eius considerans ! dicens Lucæ 19. Si cognouisses & tu . Dum fleuisti super Lazarum, Ioan. 11, quando eum ad huius mundi miseras reuocasti ! Dum fleuisti super totum mundum , in Cruce pro toto mundo patiendo ! sicut dicit Apostolus ad Hebræos 5. ubi dicitur : Cum clamore valido, & lacrymis , offerens scilicet seipsum Deo Patri, quasi faciens commendam pro nobis, exauditus est pro sua reuerentia . Hæc autem considerata sunt in hoc Sacramento . Dicitur quod manna erat simile Pruinæ, & Coriandro : pruina refrigeratiua est contra calorem, & significat refrigerationē concupiscentiæ, quam consequitur anima in perceptione digna huius Sacramenti, virtute ipsius diuinitatis, vt dicitur in Psal. 65. Transiimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Si ergo te senseris aliqua carnis tentatione distemperatum in anima, si vis curari non elonges te ab hoc

Compa  
ratur Co  
riandro .

hoc Sacramento, virtutem refrigeratiuam habente. Coriandrum verò genus est oleris, & est cibis medicinalis, in quo significatur sustentatio, & confortatio fragilitatis, virtute diuinitatis ipsius Christi. De qua confortatione dicitur in Psalm. Panis cor hominis confirmet. Attende ergo (sicut superius dictum est) quæ tibi apponuntur in mensa principis, id est, Christi, mensa dico altaris, videlicet verū corpus Christi, quod ibi per Granū pilo rufum, Anima ipsius per Bdelium, Diuinitas per Pruinam, & Coriandrum designatur. Et ad demonstrandum hanc triplicem substantiam, videlicet Carnis, Animæ, & Diuinitatis fortè Salomon in auctoritate superius posita voluit dicere in singulos. Attende quod appositum est ante faciem tuam; imò dixit in plurali, Quæ apposita sunt, &c.

### *De gradibus Sacramenti Altaris.*

Primus  
gradus.

**A**ttende in hoc Sacramento Altaris excessū largitatis diuinæ, & amoris, quasi in summo gradu: habet enim gradus quosdam largitas Dei erga nos. Primus quidem gradus est, quo homini largitus est sua, scilicet creaturas inferiores, secundum quod dicitur de homine Psalm. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, &c. Spoliantur oues ad homines vestiendum, & excoriantur animalia ad homines calean-

teandum, & sic de alijs seruitijs creaturarum irrationabilium. Secundus gradus largitatis diuinæ est, quo homini largitus est suos principes, & duces hospitij sui, Angelos videlicet in ministerium, seu seruitium nostrum. Ad Hebræos 1. Omnes enim dicit Apostolus, sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Et hi principes, scilicet Angeli in huius vitæ periculoso transitu defendunt nos ab omni violentia contrariæ potestatis. Tertius gradus est, quo homini largitus est seipsum, & hoc multis modis. Nam primo Filius Dei dedit seipsum in fratrem, & in socium, quando exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus: ad Philipp. 2. Hoc fuit in Incarnatione, quando carnem nostram suscepit in vtero Virginis, quando scilicet, Parvulus natus est nobis, sicut dicit Isaias cap. 9. Tunc factus est Christus frater, & socius, imò seruus. Tunc enim videlicet in Incarnatione quasi mutuo accepit vnum dorsum de purissimis sanguinibus beatæ Virginis, corpus sibi operatione Spiritus sancti formando, ut pro nobis verberaretur, qui, in quantum Deus, ubi verberari posset, non habuit. Vnde dicit Augustinus: Non habebat Dei Filius, in quantum Deus, ubi verberaretur: ad hoc autem carne indutus est, ut sine flagello non esset. Secundò dedit se nobis Christus in magistrum, in doctrina, & prædicatione. Vnde & ipse dicit Ioan. 13. Exem-

Secundus gradus.

Tertius gradus.

August.

Quartus  
gradus.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Quartò se dedit in pretium pro nobis in passione, quando soluit symbolum, quod tamen non accrediderat, sicut dicit Psalm. Quæ non rapui, tunc exsoluebam. Empti enim estis pretio magno, dicit Apostolus I. ad Corinth. 6. Vltimus gradus, & summus est, quod corpus suum dedit in cibum: vnde ipse dicit in Euangelio: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Et in hoc est expressio summæ largitatis, & amoris. Cum enim magnè sit dare se in socium, dare se magistrum, dare se in exemplum, dare se in pretium in aliqua tamen diuisione, & separatione, est donum ab eo, cui datur. Nam diuisio est inter socium, & socium; magistrum, & discipulum; inter exemplum, & illud, quod fit ad exemplum; inter pretium, & illud, quod pretio redimitur. Sed cum datur in cibum, datur non ad separationem, sed ad omnimodam vniõnem. Vniuntur enim in vnitatem corporis cibus, & cibans. Nam cibus conuertitur in carnem, & sanguinem comedentis; & sic vniuntur comedens, & cibus, qui comeditur in vniõnem corporis; vt iam non sit aliqua separatio vnius ad alterum. Inde est, quod amantes, qui volunt exprimere affectum amoris adinuicem, non satis exprimunt cum dicunt: Ego darem ista pro illo, Ego facerem ista pro illo, Ego sustinerem ista pro illo; sed cum dicit: Darem ei ad comedendum de carne mea, summè exprimitur

tur amoris affectus . Notabile etiam, quòd cum dedit se in Incarnatione , factus est Deus homo ; sed cum se ipsum dat in cibum in altari, homo efficitur Deiformis , quia cibus iste non conuertitur in comedentem , sed comedens conuertitur in cibum . Nam in sumptione huius Sacramenti homo , mutatur in Christum , non Christus in hominem : secundum quod dictum est Augustino à Domino : Nec tu me mutabis in te sicut cibus carnis tuæ; sed tu mutaberis in me . Mutatur anima in Christum , quando magis , & magis assimilatur Christo in gratia, & virtute, quod fit per virtutem huius Sacramenti .

*De mortificatione sui ipsius .*

**N**unc autem ad considerationem eorū, quæ præparare debemus , reuertamur : Sicut Christus seipsum tam diligenter, & studiosè præparauit, ita tu temetipsum eidem in cibum delicatissimum studeas præparare . Ideo dicit Salomon in supradicta auctoritate, Prouerb. 25. Scito quòd te talia oportet præparare . Comedere dicitur Christus illos, quos magis incorporat, & magis sibi vnit . Modus autem præparandi determinatur in Gen. 27. vbi Iacob de matris consilio cibos patri suo legitur præparasse . Vnde dixit mater ad filium : Audiui patrem tuum loquentem, & dicentem fratri tuo Esau : Affer mi-

I hi

hi de venatione tua , vt comedam , & benedicat tibi anima mea . Nunc ergo acquiesce consilijs meis fili mi ; & pergens ad gregem affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur . Quid per Iacob , nisi poenitens ? quid per matrem eius, nisi gratia, quæ de omnibus docet , designatur ; quæ cibos vero Isaac, id est, Christo, patri nostro nouit præparare ? Per duos autem hædos , corpus, & anima designatur . Arripias ergo duos hædos, id est, corpus & animam, & eos Iacob patri tuo cælesti studeas præparare . Ad præparandum talem cibum, primo pellēs detrahas hædis istis, id est, corpori & animæ , quia cum pellibus non comederet eos pater tuus . Pellis corpori subtrahitur , quando à temporalibus istis spoliatur . Pellis autem animæ subtrahitur, quando à propria voluntate denudatur . Hæc sunt præparationis tuæ principia, vt videlicet temporalibus , & propriæ voluntati renunties . Isaac enim, id est Christus, non est sicut lupus, vt comedat; id est sibi per gratiam incorporet carnes crudas cum pellibus, singulares, & proprietarios . Excoriare ergo te oportet cor tuum à veteri pelle propriæ voluntatis, & corpus tuum à pelle rerum temporalium , vt fias Domino tuo esibilis ; ne dicatur de te : In quali pelle, in quali natu's est lupus, in ea eum mori oportet : imò, sicut scriptum est Iob 2. Pelle'm pro pelle , & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua ; id est, pellem amoris rei tantabilis, &

pro-

Nota.

propriæ voluntatis debet homo dare pro pelle immortalitatis.

*De Abdicatione suæ propriæ voluntatis.*

**E**T notandum est, quod pellis quanto subtilior est, ad excoriandum tanto est difficilior. Et quia propria voluntas subtilior est, quàm ista temporalia, quæ extrinseca sunt, difficilius spoliatur seipsum homo à propria voluntate, quam à temporalium possessione. Vnde contingit aliquando in clauistro, quòd illi, qui plus abundant paupertate exteriori, plus habent propriæ voluntatis. Et attende, quòd caput animalis difficilius excoriatur, quam alia membra. In capite plus vigent sensus, quam in alijs membris. Vnde per caput significantur illi, qui plus videntur habere scientiæ, & discretionis, & tales scioli difficilius excoriantur à pelle propriæ voluntatis, quam simplices. In multa enim sapientia, multa est indignatio, Ecclesiastæ 1. Plerumque conflictibus pugnæ verborum odia de tumore scientiæ oriuntur. Indignantur enim cum eis contradicitur. Sibi credunt iniuriam factam esse, cum ad tractanda consilia domus non vocantur, eò quòd se solos reputant sapientes. Talibus comminatur Dominus per Isaiam cap. 5. dicens: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vo-

Nota totū quod sequitur de excoriatione.

I 2 bis.

Madian,  
Litigās.

bismetipsis prudentes. Attende, quod sicut Anguilla pellem lubricam habet, & vix potest teneri ad excoriandum; sic quidam claustrales ita lubrici sunt, & mobiles, quod pelle istius propriæ voluntatis spoliari non possunt, semper rationes inuenientes ad excusandum, seu contradicendū. Hæ sunt pelles terræ Madian, quibus comminatur Dominus per Abacuc. 3. dicens: Turbabitur pelles terræ Madian. Madian interpretatur contradictio, seu litigans. Quid sunt pelles terræ Madian, nisi propriæ voluntatis defensores, semper ad contradicendum parati? quibus promittitur turbatio in futuro, in illo districto iudicio, quando videntes turbabuntur timore horribili, ut dicitur in libro Sapientiæ. Et tales sunt quasi homines *de terre de Marche* habentes habitum claustralem, animum vero secularem. Isti dicuntur habitare terminos mundi, à parte animi habitum deferentes, quasi fertientes duabus parœcijs, tales consueverunt haberi suspecti de proditione. De istis dicit Psal. 64. Turbabitur, qui habitant terminos, à signis tuis, videlicet in iudicio, quando signa obedientiæ suæ, cicatrices videlicet vulnorum suorum in iudicio apparebunt; tunc turbabuntur habitatores terminorum, qui propriam voluntatem retinuerunt cum mundo, & tantummodo habitum monachalem reseruauerunt in claustro, nihil monachi, nisi cucullam, & habitum deferentes. Tolle ergo pellem propriæ voluntatis: turpissima enim  
pellis

pellis est, & confundit hominem. Confundetur Israel in voluntate sua, dicit Dominus Osee 10.

*De sufferentia tribulationis.*

**R**emota igitur à corde pelle propriæ voluntatis, necesse habes cor tuum sic excoriatū ponere ad ignem, ut coquatur. Cum enim claustrum intrasti, cor tuum posuisti in coquina Domini, ut igne tribulationis coqueretur. Et sicut coquina non debet esse sine igne, sic claustrum Domini non est sine tribulatione: ideo dicitur Ecclesiastici 43. Custodiens fornacem in operibus ardoris: Opera ardoris sunt institutiones, & statuta Ordinis, quæ nutriunt ignem asperitatis, & rigoris, quod animā quasi cibus prius crudus coquitur, & maturatur: si tamen pinguedinem habent charitatis; alioquin ad modum gallinæ macilentæ ibidem comburitur: & sicut gallinæ macilentes consueverunt laudari quando assantur in hastili; sic illi, qui defectum habent deuotionis, & charitatis, quæ sunt pinguedo animæ, ex consortio, & exemplo aliorum impinguari debent, & ad patientiam animari, ne per impatientiam, & defectum charitatis comburantur. Fac ergo pinguedinem fratrum tuorum, siue sociorum stillare in cor tuum, considerando aliorum deuotionem, humilitatem, & obedientiam, quam humiliter, quam velociter, quam hilariter alij obediunt.

Clastrū  
est co-  
quina.

Modus  
assandi.

diunt. Tales statue iuxta te, tales ponas tibi in exemplum: non macros illos videlicet, qui in angariatione cum Simone Cyreneo crucem obedientiae portant, qui de omnibus, quæ eis iniunguntur disputare volunt. Attende, quod non consuevit macilenta gallina iuxta macilentam in hastili poni, sed iuxta pinguem: sic tu, macilentos tibi in exemplum non statuas, sed deuotione, & charitate pinguiore. Ecce tria tetigimus circa cibi præparationem, scilicet pellis extractionem, coctionem, & pinguedinem. Et in pellis amotione notauimus paupertatem spiritus, quæ consistit in abdicatione temporalium, & propriæ voluntatis. In coctione autem notauimus substantiam tribulationis, & aduersitatis. In pinguedine vnctionem charitatis. Et attende, quod duo prima non profunt sine tertio. Quid enim prodest excoariatio à pelle temporalium, & adustio tribulationis, vbi deest pinguedo charitatis? teste Apostolo 1. ad Corinth. 13. Si distribuero (inquit) omnes facultates, &c. quantum ad primum. Et si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, quantum ad secundum: Charitatem autem non habuero, quantum ad tertium: nihil mihi prodest. Quasi dicat Apostolus: Nec excoariatio propriæ facultatis, nec adustio tribulationis, seu tentationis profunt sine pinguedine charitatis. In huius signum præceptum est in lege, Leuit. 3 & 7. quod adeps adoleretur in omni sacrificio. Quid per adipem, qui est pinguedo

inte-

Deuotio  
adeps  
est.

interior, nisi charitas intelligitur? Vnde tria fie-  
bant in lege circa sacrificia, quæ ad tria præce-  
denda referuntur, vt dicitur *Leuit. 1. & 2.* Pri-  
mò, pellis extrahebatur ab animali; secundo mē-  
bra super ignem in altari ponebantur; tertio a-  
deps fundebatur super sacrificium in altari. Pel-  
lis extractio (vt dictum est) pertinet ad tempo-  
ralium possessionum renuntiationem. Ignis ap-  
positio ad tribulationum tolerantiam. Adeps  
ad charitatem. Hæc tria in tribus pueris repe-  
rimus positis in fornace, *Daniel. 3.* Primò, spo-  
liati fuerunt dignitate, & primitia, quam habe-  
bant in ouria Regis Babylonis: secundo positi  
fuerunt in fornace ignis: tertio Angelus Domini  
descendit in fornacem, & fecit medium fornacis,  
quasi ventum roris flantem, ita, vt omnino non  
læserit eos ignis, neque contristaretur. Quid per  
Angelum fornacem mitigantem intelligitur, nisi  
charitas, omnem tentationis, & tribulationis  
adustionem temperans, & in dulcedinem ver-  
tens? in tantum, vt sicut illos fornax nec læsit,  
nec contristauit; ita te, si charitatem tecum in for-  
nace tribulationis habueris, lædere non poterūt  
quæcunque genera grauaminum. Nulla enim  
(dicit *Gregorius*) nocebit aduersitas, si nulla  
dominetur iniquitas. Attende, quod non dicit *Gregor.*  
*Gregorius* in collecta: Si nulla sit iniquitas, sed  
dicit, si nulla dominetur iniquitas. In multis e-  
nim iniquitas esse dicitur, vt in illis, qui motus ad  
peccatum habent, sed in illis tantummodo do-  
mina-

Psal. 118

minatur, qui peccato mortali consentiunt. Secundum hunc modum dicit Apostolus ad Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Tunc peccatum regnat in homine, quando dominatur homini per consensum, quod petit amoueri à se Psalmista, dicens: Non dominetur mei omnis iniustitia. Et si enim peccatum senseris, tu tamen non consenseris, nulla nocebit tibi aduersitas, eo quod nulla dominetur iniquitas. Et nota, quod non dicit tantum, quod non læsit eos ighis, sed neque contristauit. Sic & tu, si charitatem habueris tecum, tribulatio te non solum reseruabit à læsione, sed etiam à contristatione. Non enim (sicut dicit Salomon Prouer. 12.) contristabit iustum quicquid ei acciderit. Attende, quod non dicit, Tristabit, sed contristabit. Tristantur enim exterius in pressura positi tribulationum, sed intus remanet pax conscientie, & consolatio charitatis. Contristari autem dicitur, qui ex toto intra se, & extra se tristatur, sicut conuerti dicitur, qui ex toto vertitur, & confiteri, qui totaliter fatetur. Soli illi contristantur, qui à pace conscientie, & consolatione diuina discedentes, tristes, & acediosi ad bona agenda, impatientes, & murmurantes ad mala sustinenda sunt effecti. Te ergo spoliato temporalium possessione, & posito in tribulationis fornace, habeas tecum cum istis pueris Angelum charitatis, qui fornacem tribulationis tue mitiget, & te à læsione, & contristatione præseruet.

De tristitia, & contristitia.

seruet. Nam (vt dicit Augustinus) Omnia sæua,  
sive immania, prorsus facilia, & propè nulla, fa-  
cit amor. . Si super iugum charitatis posset poni  
totum pondus inferni, efficeretur facile, & suaue.  
Quicquid enim (dicit Bernardus) in hoc seculo  
difficile est, & angustum, leue facit charitas, & la-  
rum opprobrium gaudium esse iudicat, despe-  
ctionemq. exaltationem esse persuadet. Ideo  
iugum suaue appellatur à Domino in Euangelio,  
quia Dominus subit iugum istud nobiscum, &  
maiorē partem paratus est portare. Non enim  
iugum est vnus, sed duorum. Dicit autem tibi  
Deus: Tolle iugum meum, Matth. 11. ex vna  
parte, & ego ex altera. Paratus est enim iuuare  
illos, qui amore eius difficilia aggrediuntur. Ideo  
dicitur Ecclesiastici 2. Coniungere Deo, & susti-  
ne; quasi dicat: Sume tibi Deum in socium per  
amorem, & sic poteris sustinere. O si haberes  
vnum saccum leuare super vnum asinum, nonne  
quemlibet transeuntem in adiutorium aduoca-  
res? Deus tuus stat, & expectat vt à te per desi-  
derium vocetur, vt onera tua tecum portet, &  
ipsum sub eodem iugo coniunctum habeas. Ideo  
in fornace trium puerorum visus est, quartus si-  
milis Filio Dei, Danielis 3. in signum quod Chri-  
stus est socius in tribulatione iustorum, iuxta  
quod dicitur in Psalmo 90. Cum ipso sum in  
tribulatione.

Bernar.  
de chari-  
tate.

Iugū sua-  
ue est  
chari-  
tas.

*Quod pellis extractio, coctio, & pinguedo  
fuerunt in Christo passo.*

**H**Aec tria, videlicet, pellis extractionem, coctionem, & pinguedinem in Christo tuo reperies, vt scias, secundum quod tibi superius dictum est de auctoritate Salomonis Prouerb. 23. Quoniam talia oportet te præparare, vt ipse tibi, & tu ei facias. Primo ergo Domino tuo Christo, quasi pellis amota fuit, cum nudus fuit positus in cruce tanquam in hastili. Vnde Iudæi coqui fuerunt ipsius pretiosissimi, & delicatissimi cibi; non ipsis, quia inde non gustauerunt; sed tibi ibi igne tribulationis coctus est & exustus. Vnde significatur per piscem assum in Euangelio Ioannis 21. Nam piscis assus, Christus passus, significatur etiam per fabrum illum, de quo dicitur Ecclesiastici 38. Vapor ignis vret carnes eius. Per vaporem ignis vehementia tribulationis, quæ carnes Christi tui exustas reddidit, non combustas: Non combustas dico, eo quod ibi non defuit tertium, scilicet pinguedo charitatis, quæ per quinque foramina de suo corpore defluxit. Quid enim aliud fuit sanguis de latere, & vulneribus manuum, & pedum defluens, nisi quod pinguedo charitatis ad nos peruenerit? Fac ergo de corde tuo (charissima) patellam ad tam pretiosum liquorem recipiendum, ne decadat in terrā, quod

quod ipse Dominus tuus petit ne fiat, dicens Iob 16. Terra ne operias sanguinem meum. Tunc terra sanguine Christi operitur, quando beneficium passionis Christi à cordis memoria defluit, & amor terrenorum eidem præponitur. Pinguedinem velles colligere vnus anseris, vel gallinæ, quare ergo, à tam precioso liquore colligendo cor tuum subtrahis?

*De præmeditatione passionis Christi.*

**S** Vppone ergo patellam cordis tui, passioni Christi, eius charitatem, patientiam, obedientiam, & passionem recolendo, vt in eam pinguedo ista defluat; vt quæ in sanguine tuo coqui non potes, in pinguedine domini tui coquaris, & cōseruata remaneas à combustionē. O quantum esuriebat te Deus tuus, qui de intimis suis traxit pinguedinem, vt te lactaret cibum sibi delicatū! Si ergo ignis cuiusque tribulationis cordi tuo adhibetur, recurre ad pinguedinem charitatis Dei tui, quæ præcipuè in sua passione apparuit, eam meditando, ruminando quantum videlicet dilexit te, quanta fecit, quanta sustinuit pro te: & tūc in hoc sanguine poterit te coquere, & contra macredinem cordis tui tibi prouidere. Et sicut adipem, & pinguedine replebitur anima tua. Psal. 62. Hinc est quod in huius figura legimus, quod præcepit Dominus in lege, Leuit. 3. quod in sacrifici-

cio sacerdos decurrere faceret sanguinem bestiae super crepidinem altaris. Sanguis, Christi est; crepido altaris, super quam sanguis debet decurrere, cor tuum est. Non sit ergo cor tuum tamquam vas confractum; sicut dicit Salomon Ecclesiastici 21. de fatuo; quod sanguinem Christi tui non possit continere. In camino ergo paupertatis, & tribulationis posita, dic Christo tuo: Defluat Domine, defluat in cor meum charitatis tuae pinguedo, sanguis inquam tuus: beneficia passionis tuae recolendo, ut in tuo sanguine frigiqueam, quæ non sum proprio sanguine saginata, in tantum ut dolores meos, tua dilectione impinguata non sentiam, ut tui memoria omnium angustiarum mearum sensus, & memoriam deleat, & abstergat. Quis me consolabitur, quod te non vidi cruce suspensum, plagis lividum, pallidum morte, quia non sum Crucifixo compassa, obsecuta mortuo, ut saltem lacrymis meis loca illa vulnerum desinere? Vide, revertendo ad propositum, quanta tibi Deus tuus preparavit, ut eidem talia studeas preparare, spoliationem paupertatis, coctionem tribulationis, & pinguedinem charitatis.

### *De Coctione, seu sustentia correptionis.*

**C**irca coctionem istam cordis tui, attende quod tria sunt, per quæ cognoscitur si caro bene

Ceatio-  
nis tria  
signa.  
Primum  
signum.

bene cocta fuerit; & per hæc, si cor tuum coctum fuerit, ut sit cibus domino tuo preparatus, poteris cognoscere. Primum est, si caro dente vel ungue carpi possit, & ungulam sequitur. Secundum est, si sanguis à carne eliquatus fuerit, siue desiccatus. Tertium est, si caro ab ossibus separatur. Hæc tria in corde tuo considera. In primo notatur voluntaria sustinentia correptionis. In secundo abdicatio carnalis amoris. In tertio desiderium mortis. Circa primum attende, quod spiritualiter ungula carpitur, qui reprehenditur: unde si cor tuum ungulam correptionis sequatur per patientiam, & obediētiam, signum est, quod cor tuum coctum habes. Sunt autē corda quorundam, quasi carnes veteris gallinæ, quæ coqui non possunt, nec dente, nec ungue carpi: videlicet impatientes reprehensionis; de quibus dicit Salomon Prouerb. 25. Non amat pestilens eum, qui se corripit, imò ad modum equi scabiosis, qui cum tangitur super vulnus, fremit, & recalcitrat. Tales assimilantur Diabolo, qui corrigi non potest. Unde dicit idem Ecclesiastici 21. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. Peccatorem vocat hic Diabolum per antonomasiam, cui multum assimilatur, qui correptionem odit, sicut vestigium valde simile est pedi, quasi dicat: Vestigium Diaboli habet in corde, qui correptionem, & reprehensionem odit. Et hoc est certissimum signum stultitiæ, odire videlicet suum reprehensorem, & correptorem: ideo dicit

Diabolus dicitur peccator antonomastice.

dicit Salomon Prouerb. 9. Argue sapientem, & diliget te. Item dicit Prouerb. 17. Plus perficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. Item odire arguentem se, est signum vacuitatis, ideo dicit Sapiens Ecclesiastici 10. Vir prudens, & disciplinatus non murmurabit correptus. Sicut dolium vacuum cum percutitur malleo, resonat: si verò plenum fuerit, non facit strepitum; sic vacui gratia, & sapientia, cum corripiuntur, murmurant: pleni autem tacent, & sustinent.

### *De Abdicatione carnalis Amoris.*

Secundū  
signum.

Amor  
carnalis  
notatur  
per san-  
guinem.

Pilatus,  
os mal-  
leatoris.

**S**ECUNDUM signum, quo caro cocta percipitur, est, si sanguis ab ea fuerit desiccatus. sic, si sanguis, id est amor carnis, & sanguinis à corde tuo abstersus fuerit, & amotus, signum est, quòd cor coctum habes: & sic cibus conueniens domino tuo efficeris. Quid est, quòd in coquina domini tandiu fuisti, & carnalis affectus in corde tuo cōsumi non potest, neque per ignem, cum tamen dicat Ambrosius: Quòd iugis labor auertit affectum? Hinc est, quòd in sacrificijs Galilæorum Pilatus in Euangelio Luca 13 legitur sanguinem miscuisse. Quid per Galilæos transmigrantes interpretatur, nisi Religiosi, qui de Aegypto ad desertum, de mundo ad claustrum transierunt? Quid per Pilatum, qui os malleatoris interpretatur,

tatur, nisi Diabolus designatur, qui Ieremiæ 50. appellatur malleus vniverſæ terræ? Sacriſicia verò Galilæorū ſunt poenitentia, & obſervantia religioſorū, in quibus ſanguis miſcetur: quando, quod ſpiritualiter diligi debet, carnaliter amatur. Et qui in ſpiritu, & teſtimonio conſcientiæ gloriari debent, in ſuo ſanguine gloriantur: vt illi, qui de parentum nobilitate elati ſunt, Quorū gloria (vt dicitur Oſee 9.) ab vtero, & à partu, & à conceptu. Quod ſcriptum ſit de filia Regis in Pſal. 44. Quod omnis gloria eius ab intus, non de foris. Contra quos dicit Chryſoſtomus: Quid prodeſt illi, quem mores ſordidant, generatio clara? & parum poſt concludit: Melius eſt, vt in te glorientur parentes tui, quam vt tu glorieris in parentibus. Contra illos autem, qui nimis in carnalium amicorum amore inſoleſcunt, in figura viri Galilæi, id eſt veri religioſi, in nuptijs Galilææ matri dixiſſe legitur Ioann. 2. Quid mihi, & tibi mulier? Quod exponens Bernardus, ijs verbis dicit: Quid tibi, & matri tuæ? Multum per omnem modum. Nonne quod filio, & matri? Vt quid ergo fratres, vt quid reſpondit: Quid mihi, & tibi? vtique propter nos; vt conuerſos ad dominum, iam non ſolicitet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediunt exercitium ſpirituale. Quandiu enim de mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus. At, poſteaquam reliquimus nosmetipſos, multo magis ab eorum ſolicitudine liberi ſumus.

Chryſo.

Not.

Bernar.

sumus. In hoc etiam te voluit edocere magister tuus, cum in Cruce suspensus, Ioan. 19. matrem Ioanni commendauit. Ita tu in Cruce Religionis positus, amicos carnis tuæ Ioanni studeas commendare. Quid est Ioanni, qui interpretatur Gratia, matrem commendare, nisi amicos carnis suæ, gratiæ Dei recommendare, & pro eis orare? vt semper parata sis ei dicere: Deo vos commendo. Dicitur enim sponsæ Christi, in Psal. 44. Obluiscere populum tuum, & domum patris tui: & Concupiscet Rex decorem tuum.

### De desiderio Mortis.

Tertium  
signū co-  
ctionis  
mortem  
signat.

Nota.  
Chryso.

**T**ertium signum coctionis carnis est, quando carnes ab ossibus separantur. Tunc spiritualiter caro ab ossibus separatur, quando anima ad istam statum perfectionem deuenit. Tunc cum Apostolo, ad Philipp. 1. cupit dissolui, & esse cū Christo; quando videlicet patienter viuit, & desideranter moritur. Si enim (vt dicit Chrysostomus) gratis post modicum morituri sumus, quare non etiam ante modicum, (si opus est) cum gloria morimur, vt fiat voluntarium, quod futurum est necessarium? Desiderium ergo mortis, vt sis cum Christo. Hæc est illa dissolutio carnis, & ossium spiritualiter intellecta, qua se Cor probat esse coctum. Hoc est desiderium perfectorum, qui in morte sua thesaurum inueniunt, quem

quem tota vita sua quærere non cessauerunt. Ideo de viro iusto dicit Salomon Prouerb. 14. Iustus sperat in morte sua. Quid mirum, si iustus in morte sua sperat: quia tunc moriuntur omnes aduersarij eius; tunc liberatur de carcere captiuitatis, tunc applicat ad portum salutis? Propter hoc tale dicit Sapiens Ecclesiastæ 7. Meliorem esse diem mortis, die natiuitatis. Vnde mors Sactorum, Natale eorum in Martyrologijs appellatur; quia tunc quasi moriuntur ad mortem, & nascuntur ad vitam. Verè moriuntur ad mortem qui de vita præsentis exeunt. Nostrum verò viuere (dicit Cassiodorus) quotidie interire est. Verè etiam tunc nascitur ad vitam: quia (sicut dicit Augustinus) Mors, quam constabat esse vitæ contrariam, facta est iustis instrumentum, per quod transitur ad vitam. Noli ergo, charissima, timere iudicium mortis; & sicut monet Ecclesiast. 1. taliter te præpares, quod non oporteat te mortem timere. Omnia enim mala operatur timor mortis; omnia bona contemptus, vt dicit Chrysostomus. Attende, quod sicut captiui liberationem suam præstolantes semper se tenent ad ostium carceris: & canis reclusus semper stat ad ostium gemendo, seu *rugando* vnguibus *griffando*, laboras vt exeat: sic iustus ad mortem tanquam prædo ad ostium sui carceris, & tanquam canis inclusus exitum desiderans, desiderio, & meditatione se tenet. Ideo dicitur Ecclesiastæ 7. Cor sapientium vbi tristitia est. Tristitiam istam, mortem  
L           appel-

Nota.  
Cassio-  
dorus.

Augusti-  
nus.

Mortis  
utilitas.

Chryso-  
stomus.

Nota si-  
militudi-  
nem.

Mortem  
fugiētes  
morē ge-  
runt tal-  
pæ.

appellans. Amatores autem vitæ præsentis, sicut talpa profundius infiguntur, & ostium fugiunt. Vnde & inuiti renitentes de carnis carcere auelluntur. Ideo de peccatore dicit Iob. 18. Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius. Væ illi, qui in carcere positus solum ostium, siue exitum timet, qui signatus est de latrocinio. Signa, seu cauteria spiritualis latrocinij sunt notæ, seu maculæ peccatorum in conscientia remordente. Ideo de quibusdam dicit Apostolus 1. ad Timoth. 4. quod cauteriatam habent suam conscientiam. Tales nihil expectant in egressu carceris carnis, nisi suspendium infernale. Ad hoc enim cum peccato seruaris in hoc carnis tuæ ergastulo, vt tanquam latro signatus educaris in morte, & iudicio, tanquā ad diē mercati, seu nūdi narū, ad patibulū infernale. Dicit. n. Iob. 21. In diē perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ductetur. Dies perditionis, dies mortis ipsius peccatoris; dies furoris, dies iudicij appellatur, in qua i furore suo arguet Dñs peccatores. Hæc est præstolatio impiorū. s. furor, vt dicitur Prouerb. 11. Væ illis, quos miseræ vitæ præsentis amor ita tenet ligatos, vt nihil sibi cōtra egressū carceris sui pui deāt, nec cōponāt cū iudice ante carceris egressū; sed oēs expēsas suas reponunt in reparatione carceris ruinosi. Ideo de talibus dicit Iob. 8. Innitetur super domū suā: & nō stabit: fulciet eā, & non confurget. Domus nostra, corpus nostrum est. Super domum suam innititur, qui de corpo-

ris

P. æp. ratio ad mortē.

ris iuuentute , fortitudine , & pulchritudine confidit , & affecuratur . Fulciet eam , scilicet cibis , poribus , vestibus , & medicinis . Hæc sunt fulcimenta domus carnis ; quæ tamen non subsistunt . Væ illi , qui domum hæreditatis suæ , coelestem scilicet habitationem , ( quantum in se est ) permittit deperire , Gallicè *decbeoir* , quæ per operum charitatis impensas retinetur , & tot expensas facit in retinendo , ac reparando hanc terrestris corporis habitationem ad tempus modicū , & incertum sibi concessum , ignorans quando ei dicetur ; *bors , bors* , Noli ergo cum signatis latronibus de tui corporis ergastulo solū egressum per timescere , quin potius cum illis sis , qui è carcere educuntur ad regnum , sicut dicit Ecclesiastes : Præpara te ad egressum . O quam præparatus erat ille , qui dicebat ad Rom. 7. Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huius ? Item , qui dicebat Psal. 141. Educ de carcere animam meam . Vide ergo , quam secura , quam domestica mors est iustis , & quam periculosa , & extraneæ sit iniustis . Ideo peccatori amara esse describitur ; qui hic cum diuite ( Lucæ 16. ) Epulone totum dimittit . Desiderabilis verò iusto , qui ibi cum paupere Lazaro totum inuenit . Vide ergo communionem mortis : qualem enim te inuenerit , talem eam inuenies , si bonum , bonam ; si malum , malam . Ideo dicitur Ecclesiastici 9. Communionem mortis scito . Non dicit mortem communem tantummodo , eo quod

nulli parcat: sed sicut homo communis appellatur, qui omnium hominum moribus se nouit applicare, & quales inuenit homines, talem se exhibet hominibus: cum mercatoribus ut mercator, cum clericis ut clericus, & Qui (ut dicitur) cum lupis nouit ululare. Talis est mortis communitas, quia peccatoribus pessima, eo quod pessimos inuenit; Sanctis uero pretiosa, eo quod eos reperit pretiosos. Consulendum est ergo tibi o peccator, quod de tam graui aduersario, scilicet morte dura, per propriæ uitæ correctionem amicum facias, ex quo in manus eius oportet incidere. Attende ergo, iuxta uerbum Platonis, Mortem omnibus uerè philosophantibus esse appetendam: nam (ut dicit quidam) Mors lux est, qua proximante tam densæ tenebræ ignorantiarum fugantur, ut quam uilia sint, quæ amamus in hoc mundo, in ipsa morte plenius innotescant. O quam magnæ uirtutis est mors, cuius præsentia omnia somniorum præsentium phantasmata effugantur! O quam magnæ reuelationis mors est, per quam deliciarum, & diuitiarum fallaciæ tam lucide cognoscuntur! Propter hoc, mundus, & caro, qui sagittant in obscuro rectos corde, uidentes nos in luce, non cessant impugnare dum agimus in extremis: & uidentes quod negotiationes mercium suarum in morte nos latere non possunt, merces suas in mortis articulo nobis offerre non audent. Tunc enim voluptates tam carnis, quam mundi quam falsæ, quam nullæ sint, deteguntur.

Plato.

De

*De Matrimonio spirituali, & primo  
quomodo repellitur à matri-  
monio Christi.*

**D**ilecto, quomodo Cor præparari debet ad modum domus ad magnum hospitem recipiendum: & iterum ad modum cibi ad comedendum, ad tertiam partem nostræ considerationis accedamus, scilicet quomodo cor debet præparari ad modum sponsæ, ut sponso suo placeat. De cuiusmodi præparatione, seu orna. u dicit Ioan. Apocalypsis 19. Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Vnde tria notanda occurrunt iuxta verbum propositum: primo qualis debet esse vxor Agni, idest Christi; secundo quales nuptiæ: tertio cuiusmodi ornamentis debet sponsa ornari. Qualis autem debet esse anima Christiana, quæ Christo lege matrimonij vult copulari, ostenditur in lege, vbi præcepit Dominus, Leuitici 21. dicens: Sacerdos virginem ducet vxorem: viduam autem, & repudiatam, & fordidam, atque meretricem non accipiet. Per sacerdotem, Christum intellige, qui animæ virginis, lege matrimonij copulatur. Et nota, quod quociens anima per gratiam mandatur, virgo totiens reputatur. Ideo dicit Hieronymus: Corruptæ animæ, virgines efficiuntur in Christi matrimonio: vnde ponit differentiam inter matri-

Diniso  
huius ter-  
tiz par-  
tis primi  
tractat.

Qualis  
debet ef-  
se anima  
q̃ Chri-  
sto copu-  
latur.

Hierona.

monium

Quatuor  
genera  
mulierū,

Quid in-  
telligitur  
per vi-  
duam.

Amalech  
Lābens.

monium carnale, & spirituale. In carnali enim matrimonio virgines corrumpuntur, in spiritali verò, corruptæ, virgines efficiuntur. Per illa quatuor genera mulierum, scilicet, viduarum, repudiatarum, sordidarum, & meretricum, quæ à matrimonio summi Sacerdotis amoueantur in lege, significantur quatuor genera peccantium, quæ à Christi matrimonio repelluntur. Per viduam intelligitur anima, cui mortuus est vsus carnalis voluptatis, & non affectus: vt illa, quam necessitas sola retrahit à malo, & non charitas. Talis potest dici vidua de viuo marito. Nam talis voluptatem habet, quasi maritum sepultum in corde suo. Contra quod dicit Dominus in lege, Exodi 17. Delebo memoriam Amalech sub cælo. Amalech interpretatur Lambens, & significat animam, quæ lambit, vbi mordere non potest; sicut faciunt illi in corde delectationes præteritas, vel quas habere non possunt, retinentes. Tales verè sunt Amalech, id est Lambentes, sicut lecor lingit hastile, vel scutellam post cibum. vnde de tali vidua dicit Apostolus, 1. ad Timoth. 5. Nam quæ in delitijs est, viuens mortua est. Talis vidua, quando contingit ei aliquid, quod ei non sedet, semper rememorat maritum suum, licet pessimus fuerit. Talis est anima, quæ quando contingit ei aliquid contrarium, semper suspirat ad ea, quæ dimisit in seculo. In huius significatione, dicitur Ezechielis 8. Quod inter quasdam abominationes vidit mulieres plangent

tes

tes Adonidem, qui iuxta fabulas Gentilium dicitur fuisse amasius Veneris. In huius significatione filij Israel fastidientes manna in deserto, ad carnes, quas in Aegypto reliquerant, suspirabāt. Numer. 11. Noli charissime, ad ea, quæ reliquisti in Aegypto huius mundi suspirare: noli manna deferere, id est, lectionem, orationem, & claustrū fastidire; quin potius temporalia ista, quæ retro sunt, cum Apostolo ad Philipp. 3. obliuiscens, ad spiritualia, ad æterna, quæ ante sunt, intentione, & desiderio totaliter te extendas.

*Quid intelligitur per Repudiatam.*

**P**ER repudiatam illi significantur, quos mundana repudiant negotia, licet ad illa se libenter ingerant non vocati. Illi scilicet, qui a mundo contemnantur, & tamen mundum non contemnunt. Et tales verè possunt dici viliores, & miserabiles omnibus hominibus. Contingit enim videre quosdam, qui bonis nutriti morsellis in curijs principum, licet fastidiantur, & etiam licentientur, licet expulsi per vnum ostium, redeunt per aliud. Sic quidam sunt ita illecti Gallicè, *alleché*, delectationibus mundi, & illecebris, quod licet aduersitatibus, & molestijs punantur, tamen ab eo non recedunt. Imò, sicut illos, qui curias frequentant, gula facit seruos; ita istos seruos tenet concupiscentia sibi subiectos. Propter

Quid p.  
repudiatam.

pter quod dicitur Ecclesiastici 29. Minimū pro magno placeat tibi, & improprium peregrinationis non audies. Minimum pro magno accipiebat ille, qui dicebat, Tobia 5. Sufficiebat nobis paupertas nostra. Multa impropria oportet illum audire, qui pauca habet, & paucis nescit uti.

### *Quid intelligitur per sordidam.*

Quid p  
sordidā.

**P**ER sordidam significatur anima, quæ immun-  
dis affectionibus maculatur: contra quam di-  
cit Dominus per Ezechielem 22. Sordida, no-  
bilis, grandis interitu. Nobilis est anima clau-  
stralis, quæ sponsa Regis cælestis est effecta, pro-  
fessione castitatis. Quæ si sordida fuerit, gran-  
dis erit interitu, id est, grandem interitum dam-  
nationis acquireret. Si tu sordidam ancillam a bo-  
minaris in domo, quanto magis sordidam animā  
abominatur Christus? Si vis ergo Christo de-  
sponsari auferas à te (iuxta verbum Zachariæ 3.)  
vestimenta sordida, siue sordes de spiritualibus  
vestimentis. Vnde sicut in veste alba turpior est  
macula, & facilius apparet: sic in virgine inde-  
centior est macula peccati. Vestis enim alba ap-  
pellatur virginitas; vnde bysso comparatur in  
Scriptura. Ideo Prouerb. ultimo dicitur de mu-  
liere forti: Byssus, & purpura indumentum eius.  
Ideo dicit Hieronymus: Præclara est virginitas,  
& pu-

& pudicitiae virtus, si non alijs macularum lapsibus infirmetur. Vnde necesse habet virgo Christi, id est, quaelibet sancta anima, vt faciem conscientiae suae frequente confessione lauet, in quam continuè sponsus amarus intendit. Nam, sicut dicit Hieronymus: Tanto maiori studio placendi opus est, quanto maior ille est, cui placendum est.

*Quid intelligitur per Meretricem.*

**Q**uarto loco repellitur meretrix à matrimonio, ne contrahere possit cum summo Sacerdote. Meretrix appellatur, quæ cuilibet patet libidini. Vnde per meretricem intelligitur anima, quæ cuilibet cedit tentationi. Et sicut mulier fatua, posteaquam à turpi amatore semel est oppressa, non audet ei amplius denegare, imò aliquando inuita, & contra cor suum obedit ei in omnibus: ita anima posteaquam semel per assensum peccati oppressa est à Diabolo; non habet amplius audaciam resistendi, nec frontem denegandi ea, quæ petit. Vnde ducitur ad omnia inconuenientia, Gallicè, *à tous meschitez*: quæ prius credere non posset, quòd talia ei accidere debuissent. Nam, sicut dicit Gregorius: Peccatū, quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Vnde exactor dicitur Diabolus, quia semper vterius procedit. Vnde

Quid p.  
meretricem.  
† al. patet.

Remediū contra tentationem, non habere peccatum.

Gregr.

M de

de iusto dicit Iob 36. Clamorem exactoris non audit. Cauent minores, ne faciant aliquando maioribus aliqua seruitia, seu xenia, Gallicè *bontes*: ne ipsi trahant in consuetudinem, & propter hoc quasi sibi subiicere velint, Gallicè, *asseruir*. Sic caue tibi ab isto exactore Diabolo, quia modica occasione si ad tempus aliquam subiectionem de cætero volet; in te ius, & tenorem allegabit.

Chryso. Propter hoc dicit Chrysostomus: Sicut naus fracto gubernaculo illic ducitur, quò tempestas impellit: sic homo, Dei gratiæ auxilio perduto, non quod vult agit, sed quod Diabolus. Et sicut primum in potestate populi est facere Regem, quem vult; factum autem de regno expellere non potest: ita homo priusquam peccet, liberum habet arbitrium, vtrum velit esse de regno Diaboli; cum autem peccando ei subiugatus est, iam non potest de eius potestate exire. Vocem ergo exactoris, o charissima, non audias. Aduerte, quòd non est reputanda casta mulier, quæ libenter audit preces corruptoris: si autem precibus licet ei consentire, non velit, & appetit diligi, licet diligere non appetat. Sic, non est casta reputanda anima, quæ tentationes Diaboli in cogitatione recipit, & in eis delectatur, licet peccato non velit consentire. Tentare verò Diaboli, loqui est eius. Fac ergo sicut casta mulier, quæ non solum sollicitatorem suum non audit, imò cum indignatione eijcit, & verberibus, & conuicijs eijcit, & expellit. Sic tu contra tentatorem Diabolum indi-

Chryso.

g. 1. 20

Signum  
castita-  
tis.- 1. 10 9  
- 1. 10 111. 10 12  
1. 10 131. 10 14  
1. 10 151. 10 16  
1. 10 171. 10 18  
1. 10 19

indignare, & cum dolore cordis, & tuncione pe-  
 ctoris ipsum Diabolum à te repelle: Resistito  
 Diabolo (ait Iacobus 4.) & fugiet à vobis. Item  
 consuetudo est adulteræ, quod ictus amari sui su-  
 celat, vel tegit, etiam si quæritur ab eo, quis læsit  
 eam; respondet, quod impulit ad ostium, vel al-  
 liud huiusmodi; si autem percussa fuerit à viro  
 suo, clamat super totum vicum, & omnibus ami-  
 cis, & vicinis, suis ostendit vulnera sibi facta à ma-  
 rito. Sic anima polluta à Diabolo, percussioni-  
 bus eius non remurmurat, imò celat, & tacet  
 cuius percussiones sunt timores, pudores, amari-  
 tudines, vigiliæ, labores, & huiusmodi difficulta-  
 tes, quibus peccantes affliguntur. Nec sic affli-  
 cti ab eo recedere volunt, nec etiam os aperire;  
 sicut Diabolus sub figura Sennacherib, Isaia 10  
 iactando dicit: Detraxi quasi potens residentes  
 in sublimi, &: Non fuit qui aperiret os, & ganni-  
 ret. Residentes in sublimi sunt Prælati; seu etiã  
 quicumque Religiosi, quos Diabolus detrahere  
 nititur, quia quanto gradus sublimior, tantò ma-  
 gis Diabolus contra eos suscitatur: & tales de-  
 trahit Diabolus, & ita pro nihilo stupefacit eos,  
 quod non est qui aperiat os, confitendo peccata,  
 & ganniat gemendo, & dolendo pro peccatis.  
 Si anima adultera percussa fuerit à vero marito,  
 qui est Christus, infirmitate, seu quacunque di-  
 sciplina, murmurat, clamat, & conqueritur se  
 talia sustinere non posse: Et de tali dicitur Ec-  
 clesiastici 25. Nequitia mulieris immutat faciem

Et I. Pe-  
 tri 5.

Nota si-  
 militudi-  
 nē adul-  
 teræ.

M 2 eius:

eius : & obcæcabit vultum suum tanquam vrsus .  
 quod ad literam exponitur de nequam muliere ,  
 quæ faciem suam immutat , dum ornat , & com-  
 ponit se sicut lezabel in occursum lehu , vt legitur  
 4. Regum 9. Sic fatua mulier in occursum eorū ,  
 quibus placere desiderat , 'maiori studio se co-  
 mit . In hoc etiam comprobantur esse reprehen-  
 sibles quædam moniales , quæ cum vocantur ad  
 locutorium ab aliquibus familiaribus suis , tran-  
 seunt primò per lauatorium , & lauant se , & su-  
 percilia sua digitis suis cum salua comprimunt ,  
 & componunt , & albus peplum accipiunt , quod  
 reprehensibile est in virgine , cuius est cogitare ,  
 secundum Apostolum , quomodo placeat Deo .  
 Sequitur : Obcæcabit vultum suum tanquam vr-  
 sus , id est , multis ornamentis teget se . Vrsus ha-  
 bet corrigiam latam super nasum : sic mulier pe-  
 plum , quo inuoluit faciem suam , *pour le bale* , &  
 quo fortè deformitatem ipsius faciei celat . Se-  
 quitur in prædicta auctoritate : & quasi sacculum  
 ostendet in medio proximorum eius . Et hoc  
 contingit , quando conqueritur mulier de vilio-  
 ribus vestibus , quod in subtilioribus vestibus non  
 prouidetur à marito . Et de talibus dicit Bernar-  
 dus , loquens cuidam Virgini , scilicet Sophiæ :  
 Vides nempe , auro , argento , lapidibus pretiosis ,  
 & omni cultu regio aliquas matronas seculares  
 non tam ornatas , quam oncratas ; vides post se  
 longas trahentes simbrias , ipsæq. pretiosissimas ,  
 & densas pulueris nubes extingentes in aera : hæc  
 te

Nota de  
 peplis  
 mulie-  
 rum .

Bernard.  
 ep. 114.  
 ad Soph.

te non moueant. Illæ, illa vel in morte deponent, te tua sanctitas non relinquet. Non sunt sua, quæ portant: cum enim interierint non fument omnia; neque descendet cum eis gloria hæc. Mundus, cuius sunt, nudis illis exeuntibus, retinebit; eisdem vanis, vanas similiter alias seducturus.

*De Matrimonio spirituali cum Virgine.*

**E**Ccetibi ostensum est, quid per viduam, repudiata, sordidam, & meretricem significatur, quæ à summi Sacerdotis matrimonio excluduntur, cui cum virgine tantum nubere precipitur secundum legem. Si vis ergo Christo summo Sacerdoti animam tuam quodam matrimonio iure copulare; oportet animam tuam tanquam virginem castam exhibere. Virgo est anima, quæ à corruptione peccati est libera, quando integra est per incorruptionem, quando virum diligit, virum quærit, virum petit. Illud vnum, quod est necessarium, quod facit charitas, cuius officium est vnire. Attende, quod virgo, quæ oleum non habet in lampade excluditur in Evangelio à nuptiis celestibus. Matthæi 25. Lampas sine oleo; virginitas sine charitate, Bernardus: Subtrahæ oleum, lampas non lucet: sic subtrahæ charitatem, & integritas, siue castitas non placebit. Sed notandum, quod si quærat signa integritatis.

Bernardus.  
De charitate cum virginitate.

grita-

Cōditio-  
nes vir-  
ginita-  
tis.

Verecun-  
dia signū  
virgini-  
tatis.

Bernar.

gritatis sponsus, vel virginitatis in sponsa ipsa, ei tenebitur exhibere, sicut dicit Lex, Deuter. 22. Notandæ autem sunt de multis tres cōditiones, quæ virgini præcipuè conueniunt, & virginitatem quodammodo attestantur, quæ sunt, Verecundia in vultu, Paupertas in rebus, & Simplicitas in sermone. Nam, si verecundiam commendans Apostolus 1. ad Timoth. 2. iniungit maritatis, multo fortius virginem Christi verecundiæ caractere vult signari; vt etiam videri in publico erubescat. Rebecca viso Isaac operuit vultum suum. Genes. 24. Esto ergo verecunda Christi virgo, Galicè, *ne blande abbandone*. Esto verecundia exemplo illius virginis, quæ ab Angeli aduentu ad ipsam intrantis expauit, & turbata extitit in sermone, cogitans apud se qualis esset illa salutatio. Bernardus in Homelia super Misus est. Quod turbatur virgo, virginei est pudoris, quod tacuit apud se de modo salutationis insolito cogitans, prudentiæ fuit. Ista duo, Verecundia, & Prudentia coniunguntur, quia vna sine altera non sufficit. Sunt enim aliqui ex verecundia indiscreti, vt audita, rarius distinguant, & ideo indiscretè respondent. Alij de Prudentia præsumentes, inuerecundi, & odiosi efficiuntur. Vtrumque beata Virgo obseruauit, quam verecundia turbatam, Galicè *Effroyée*, Prudentia cogitantem reddidit, & tacentem. Esto ergo virgo Christi prudens, & verecunda, vt gratiam super gratiam consequaris: iuxta verbum Ecclesiastici

fiastici 36. dicentis: Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata. Sanctitas, quæ idem sonat, quod munditia, refertur ad prudentiam, sicut effectus ad causam. Prudentia enim conservatrix est munditiæ. Vnde prudentes virgines, in Evangelio Matthæi 25. Lampades suas aptauerunt. In lampade, caro fragilis designatur, Lampadem suam aptare, est corpus fragile per mortificationem, sibi subijcere, & puritate obferuare, quod prudentiæ attribuitur, cuius est pericula præcauere.

*Secundum signum virginitatis est  
Paupertas.*

**S**ECUNDA conditio virginitatis est pecuniæ paupertas. Si enim inuenirentur circa puellam denarii, videretur non esse virgo, sed potius iudicaretur ab inhonesto amatore accepisse unde in vulgari dicitur in exemplum: Iste est pauperior, quam puella. Christus enim sponsus eius Rex est, qui sponsam suam pauperem, & nudam vult accipere, sicut Reges nihil accipiunt de vxoribus. Non potes nobiliores diuitias afferre in matrimonio cum Rege tuo, quam ipsam paupertatem, & diuitiarum contemptum. Hinc est, quod Rex Assuerus, Hester. 1. Pauperem & nudam sibi elegit in sponsam. Hinc est, quod Booz, Ruth. 3. Pauperem sibi accepit in vxorem. Hoc est

Secundū  
signū est  
paupertas.

est contra illos, qui, si non ore, saltem plus corde quærunt quãdo puella claustrum ingressura est, quantum habeat, quam quãtum valeat, quod est simoniacum. Sicut quidam conuersi, qui velut canes nares applicantes circa fimos, & stercorea explorant de superlectili, & hæreditate puellæ, pro qua panis claustri petitur à parentibus vel amicis. De quibus non incongruè potest intelligi illud verbum Ecclesiastici 20. Concupiscentia spadonis deuirginabit iuuenulam. Tales spadones sunt per votum castitatis: tamen eorum cupiditas deuirginabit iuuenulam, dum mentes, tam earum, quæ recipiunt, quam eius, quæ recipitur praua extorsione corrumpunt.

*Tertium signum virginitatis est simplicitas Vocis.*

Tertium  
signū est  
vocis  
simplicitas.

**T**ertium signum est vocis simplicitas, dulcedo, & gracilitas. Virgines enim simplices voces, & graciles habere consueuerunt. Corruptæ verò crassiores voces habent, & obtusas. Sic tu, hæc signa incorruptionis animæ tuæ exhibeas. Simplicem vocem habet ad modum puellæ, quæ simpliciter, purè, & planè confitetur peccata sua, non masticando, non balbutiendo, non inuoluendo, vt possit dicere illud Psal. 55. Deus vitam meam annuntiaui tibi, id est, planè, & palam annuntiaui. Ideo dicit Ecclesiasticus 16.

Primo  
plana cō  
fessio.

Anima

Anima autem omnis vitalis denuntiabit ante faciem ipsius, id est, Dei. Animam vitalem vocat animam confitentis, quæ non tantum viuit vita naturæ, sed gratiæ. Hæc est duplex vita, de qua dicitur, Isaia 38. Viuens viuens ipse confitebitur tibi. Talis enim anima denuntiat peccata, scilicet in confessione ante faciem Dei, quia confitens semper præsentiam Dei debet cogitare, vt pudorem vincat, quod non modica victoria est. Hinc est, quod Iudas, qui interpretatur † Confessio, primò intrauit mare rubrum in exitu de Aegypto. Exitus de Aegypto egressum de peccato significat, Mare rubrum confusionem, siue pudorem de peccato, quia in pudore rubescit homo. Vnde mare intrare est pudorem de peccato vincere. Vnde dicit Iob. 7. in persona confitentis: Non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei. Ecce ergo vocis simplicitas in confessione. Sic etiam vox dulcis ad proximum in ædificatione, & consolatione, quia sicut dicitur Ecclesiastici 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et Prouerb. 16. legitur: Qui dulcis est in eloquio, maiora reperiet, quia talis plures attrahit ad Deum, & ita plurima merita habet, & plurima præmia recipiet. Vocis gracilitas, quæ signū est virginitatis, pertinet ad orationem. Ille enim spiritualiter graci-lem vocem habet, cuius oratio per humilitatem, & deuotionem penetrat cælos, & Deum delectat. Ideo dicit Christus Sponsæ, Cant. 2. So-

† al. Lau-  
datio,

Secūdo,  
proximi  
ædifica-  
tio.

Tertio,  
humilis  
oratio.

N

net

net vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis . Corruptæ autem voces habent crassas . Sic illi signum corruptionis animæ portant , qui de carnalibus , & terrenis loquuntur . Crassam vo-  
cem habet , qui de crassis , idest temporalibus lo-  
quitur . Talibus dicitur Isa. 29. De terra loqueris ,  
& de humo audietur eloquium tuum . De terra  
loquuntur illi , qui de emendo , vendendo , & ac-  
quirendo semper suos texunt sermones . Et , qui  
de terra est ( dicit Dominus ) de terra loquitur ,  
Ioan. 3.

*De Nuptijs spiritualibus faciendis cum  
Christo .*

**O**stenso , qualis debet esse sponsa Christi : iam  
restat considerandum , quales sunt nuptiæ .  
Ad quod in principio notandum , quòd tam no-  
bile , tam fructuosum matrimonium animæ , vi-  
delicet cum Christo , valde cupiendum est . Vi-  
demus patrem familias sollicitum pro filia mari-  
tanda : quanto magis debes sollicitari pro anima  
maritanda ? Dicit Ecclesiasticus 7. Trade filiam  
tuam , & grande opus feceris , & homini sensato  
da illam . Et ego dico tibi ; Trade cor tuum , &  
maius facies , & viro sapienti da illud . Vir sa-  
piens Christus est , qui per sapientiam suam mun-  
dum liberavit , qui cor tuum petit in matrimo-  
nium , dicens Prouerb. 23. Fili præbe cor tuum  
mihi.

mihî. Nulli fructuosius, nulli iucundiùs, null honorabiliùs cor tuum præbere potes. Tali enim sponso conuenit cor tuum. Ideo Psalm. 72. dicit ille: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: In solo enim Deo sola est sufficientia, in omnibus alijs cordis egestas. Item cum dicit: Deus cordis mei, non determinat quid est cordi, quia non sufficeret ad enumerandum cordi sic Deus, quia exemplum, socius, medicus, merces, pater, vltor, doctör, amor, spes, laus, patientia, virtus, hæc omnia, & multa alia ampliora cordi tuo est Deus, circa quorum discussionem ad præsens immorari non licet. Istud autem non est prætermittendum, quòd Christus amicus tuus, & dominus, de te facit suum totum, ipsum finem laboris tui constituendo; ipsum pro mercede seruitij tui accipiendo, pro ipso operando bona, pro ipso sustinendo mala. Nonne ipse loquens de homine, dicit in Euangelio Ioan. 12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham mecum, vel ad me ipsum? Quid notat in omnia, nisi hominẽ? Constat enim quòd alias creaturas a homine ad se ipsũ nõ traheret. Vnde, sicut ille, qui desideratissimum amicum suum secum habet, dicit se habere omnia; sic Christus, posteaquam nos ad semetipsum traxit, omnia se habiturum testatur. Attende, quòd Deus tuus mundum totum habere non dicitur, quandiu te non habebit. Qua fronte, qua audacia totum tuum facere denegabis, qui de te ipso totum suum fe-

Christus  
est totus  
pro ho-  
mine.

De dile-  
ctione  
efficiēte  
matri-  
moniū.

Diony-  
sius.

cit? Et quia dilectio facit matrimonium; quæ inquam dilectio, est coniunctio conuenientis cum conueniente. Sollicitat te de matrimonio Prouerb. 23. dicens: Præbe fili mi, cor tuum mihi. Hoc fit per amorem, per quem transfer-  
tur corde dominium in amatum. Est enim dicit Dionysius, amor, qui non sinit suos esse amantes, sed amatorum. Illi etiam, quem diligimus, dicimus dedisse cor nostrum. Hæc est tota, sola, & instantissima petitio sua, videlicet, Ama. Atten-  
de, si amor tuus est ad donandum, vel vendendum, vel auferendum. Si ad donandum, vbi poteris eum melius collocare. Gallicè *emploier*, quàm in eo, qui speciosus forma præ filiis hominum, in quo etiam sunt omnes thesauri sapien-  
tiæ, & scientiæ absconditi? sicut dicit Apostolus ad Coloss. 2. Si paruum nouellum, seu paruum ludicrum habes ad donandum, nonne apud te deliberas, quò poteris melius implicare? Quare ergo tanta consideratione de tam minimo deli-  
beras, & tantum munus, sicut est amor tuus, sine deliberatione proijcis? quod tam fructuosè, tam honorificè posses tribuere? Item nonne vides lus-  
forem scacchorum, seu latrunculorum tactum suum à tabula subleuatum in manu sua diù tene-  
re, & cum multa deliberatione assidere, vt in tuto collocetur, & ne ex aduerso rapiatur? Vnde ergo tibi, quòd tu cor tuum super loca tam periculosa, & ab aduersarijs accessibilia, tanquã ad discopertum proijcis? vbi tibi concluditur in  
angulo,

angulo, & dicitur *eschec. & mai?* Lusor cauet ne scachū suū assideat ad discopertū: & tu cor tuū discopertum in via aduersariorum ponis? Est nē tibi maior cura de scacho, quam de corde? Timet lusor amittere ludum, imō scachum, & tu non times amittere cor tuum? Si vis cor tuum in tuto, & ad opertum ponere, affectus tuos ab exterioribus retrahas, & eosdem ad tua interiora studeas reuocare, & tunc securē potes ludere. Non enim erit tibi, quo scachus tuus, id est, cor tuum capiatur. Vnde dicit Ecclesiasticus 32. Præcurre prior in domum tuam, id est, in domū conscientię tuę. Prior dicit, ne aduersarius præueniat te; & illuc adioca cogitationes tuas, ad te colligendo: & illic lude; quia tibi potes intendere ad ludum tuum. Multum posuisti ad ludum, quoniā claustrum intraſti, & ideo cauendum tibi valdē est à malo tractu, Gallicē *metraire*. Attende, quòd in isto ludo fecit tibi auantagium in hoc, quòd dedit tibi prius pecios, vt possis iactare quosuis, tempus scilicet ad poenitendum. Noli ergo pecios in manu tua diū concutere, id est, *focier*, sed iacta *apertement*, ne pecij auferantur de manu tua, id est, tempus de potestate tua; & tunc quæras tempus poenitentię, & inuenire non possis: quia cum acceperit tempus, quasi pecios, ipse iustitias iudicabit. Pecios *bocent* in manu, qui correctionem vitę proponunt, nec ad effectum producunt. Propter hoc dicit Chrysostomus: Lucrum nobis nunc datum est in poenitentia.

De tempore poenitentię.

Chrysostomus.

nitentia. Tunc autem qui discernit solus Dominus calculi est, quasi diceret: modò tenemus pecios ad lucrandam veniam. Per ludum poenitentiae in iudicio Dominus pecios habebit ad retribuendam mercedem iustitiae. Item, si ad vendendum est amor tuus, nonne ipse multo pretio emit, & pro illo soluit pretium sanguinis sui? sicut ait Apostolus 1. ad Corinth. 6. Empti enim estis pretio magno. Item, praevenit te amore, quia ipse prior dilexit nos, sicut dicit Ioan. Apocalyp. 1. Vnde quamvis omni rei amor denegare se non possit: nullatenus se contra amorem defendere potest, vel debet. Si autem pretium iam persolutum sanguinis sui pro solo amore tuo non sufficit, attende regnum caelorum pro solo amore tuo, tibi venale expositum, cui nulla merces comparari potest, imò totus Deus in solius amoris pretium se exponit. O quam bono, & leuissimo foro se ipsum dat Deus pro sola scilicet voluntate bona! Nec enim aliquid est, quod ultro bona voluntate habeatur: nec etiam festuca vna si volueris diues fieri, si pulcher, si nobilis, sola voluntas sufficit ad te ditandum, ad te decorandum ad te nobilitandum. Si efficaciter volueris Deum habere, velis & habebis: voluntati enim efficaci se denegare non poterit, & ita de nulla re bonum forum inuenies, sicut de Domino. Omnibus enim pretijs venalis est Deus: unicuique enim se dat, pro eo quod habet, ut dicit Augustinus: Item, si est ad auferendum amor tuus, quæ maior

Amore  
emittitur  
regnum  
caelorum.

Augusti.  
de spiri-  
tu & ani-  
ma.

maior violentia ad amorem obtinendam inferri potest: quam mori pro amore? In hoc commendat, id est, commendabilem reddit Christus charitatem suam, quoniam cum adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est: ut dicit Apostolus ad Romanos 5. Sed ne mortem istius amici obliuioni traderet iuxta morem vxoris maritatae, quae frequenter mutat maritum, & nouis superuenientibus, veterum obliuiscitur. Ideo tot amoris tui memorialia ibi decreuit relinquere, iuxta verbum Ecclesiastici 29. Memor eris amici tui in animo tuo. Semper consueuerunt amoroſi in amicitiarum suarum memoriam quadam munuscula penes amicos deponere, ut sunt corrigiae, vel cultelli: quomodo ergo illius poteris obliuisci, qui tot tibi reliquit amoris memorialia & beneficia? cum, tam beneficiorum assiduitas, quam beneficij ineuitabilis praesentia ad assiduam memoriam te inuinent? Quanta insania est, ait Cassiodorus, illius memoria carere, quam Cassiod. praesentem semper constat existere? Nonne etiam ipse carnem, & sanguinem suum sub Sacramento tibi in memoriale pretiosissimum reliquit, dicens in Euangelio Lucae 22. Hoc facite in meam commemorationem? Quomodo potes illius obliuisci, quo pascaris, & potaris? cum quidam in libro primo Esdrae 4. dicant se memores salis, quod in palatio comodebant. Nonne bonum est memoriale mirabilium suorum esca illa, scilicet quam dedit timentibus se? Psal. 110. Noli ergo,

Nota qđ  
segtur.

ergo, charissima, obliuisci omnis retributionis eius, qui etiam, vt tui memoriam haberet, cicatrices vulnerum in manibus, & pedibus, tāquam quosdam nodos in corrigia referuauit. Dicit enim ipse per Isaiam 49. Non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Quasi diceret: Vt te obliuioni minimē traditam agnoscas, in manibus meis detinui pro te vulnerum cicatrices. Noli ergo, charissima, mirari, si tibi flagella ad sui memoriam in corde tuo inuito, qui pro amore tuo fuit in suo corpore tām grauitē flagellatus, & in augmentum memoriæ vulnerum, cicatrices in suo corpore referuauit.

### *De distinctione Matrimonij spiritualis.*

Nota triplicē distinctionem matrimonij.

**Q**uoniam Stensa conuenientia tam desiderabilis matrimonij animæ cum Deo, & quo amore mediante illud matrimonium celebretur: iam restat videre de qualitate matrimonij. Circa quod notandum, quod triplex est distinctio matrimonij. nam est matrimonium initiatum, siue incōsumptum, est matrimonium ratum, siue confirmatū; & est tertium, matrimonium ratum, siue perfectum. Initiatum per verba de futuro, confirmatur per verba de præsenti, & perficitur per coniunctionem mutuam subsequentem. Iuxta præfatam similitudinem carnalis matrimonij considerare

derare oportet matrimonium spirituale. In-  
tiantur nuptiæ spirituales inter Christum, & ani-  
mam in nouitiatu, confirmantur in professione,  
sed perficiuntur in gloria, quando inseparabili-  
ter anima Christo coniungetur, si nouitia es, at-  
tende matrimonium spirituale inter te, & Chri-  
stum verum sponsum tuum incoepisse. Si profes-  
sa es, attende matrimonium esse confirmatum,  
& tandem in regno celorum perficiendum fore.  
Tunc enim saturis virginibus exclusis, illæ solæ,  
quæ paratæ intencientur introibunt cum sponso  
ad nuptias, Matthæi 25. Hæc autem, quæ de  
matrimonio incoepito, confirmato, & consummato  
diximus, signanter Dominus, Jeremiæ 2. loquens  
anima claustrali, exprimit dicens: Recordatus  
sum tui, miserans adolescentiam tuam, & chari-  
tatem desponsationis tuæ, quando secuta es me  
in deserto. Quod dicit: Miserans adolescentiã  
tuam, hoc pertinet ad nouitias, quæ incoeperunt  
matrimonium cum Christo. Quod sequitur:  
Charitatem desponsationis tuæ spectat ad pro-  
fessas, quæ matrimonium cõfirmauerunt. Quod  
viterius dicitur: Secuta es me: spectat ad pro-  
fessas, & perfectas, quæ matrimonium consum-  
mauerunt. De primo notandum, quod misera-  
tur Dñs adolescentulis suis, id est, nouitiabus,  
quæ in tenera ætate propter verba labiorum eius,  
vias duras, scilicet labores ordinis difficiles sunt  
aggressæ. De quibus adolescentulis dicitur Can-  
ticorum 1. Adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Nota se-  
quentia.

O

Ideo

Ideo dicitur, Nimis, quia corda iuencularum maioris sunt adhaerentiae, & tanquam noua testa odorem capiunt, quem postmodum inueterata sapiunt. Ideo in illa ætate præcipue cauendum est cordi tuo, ne amore turpi imbuatur, qui amor spiritualem præcludat. Adolescens enim iuxta viam suam (siue bona sit, siue mala) etiam cum senuerit, non recedet ab ea, sicut dicitur Proverb. 22. Difficile est enim vitia iuuentutis in senectute excutere. Vnde o Nouitia, scito te positam esse ad scholas amoris, & si in illo statu diligere illum cui desponsata es, non addiscas; vix postea in amoris arte proficere poteris. Hæc est facilis lectio, Dilectio lectio sapius recitanda est, de qua sponsus tuus in cathedra Crucis scholas tenuit, vbi mortuus est præ amore. Tace ergo o Nouitia, & sede, quia istam honorabilem sapientiam, quæ est Dilectio Dei, vt dicitur Ecclesiastici 1. non poteris addiscere, nisi prius à curis exterioribus abstraharis: vt dediscendo prius, quæ malè in hoc seculo didicisti, idoneam te reddas ad recipiendam amoris Domini disciplinam: Ideo monet te idem Ecclesiasticus 38. Vt in tempore vacuitatis, id est, quietis, scribas in tabulis, scilicet, cordis tui sapientiam. Nam, sicut dicit idem, qui immoratur actu, id est, qui subtrahit se ab actibus exterioribus, percipiet illam. Si vis ergo percipere, id est perfectè capere diuinam sapientiam, rescindantur à te affectus, vel effectus mundani. Hinc est, quod in lege

Fernor  
nouitia-  
tus pro-  
batur.

Religio  
schola a-  
moris,

Nota.

Quies  
ab exte-  
rioribus  
persua-  
detur.

lege Dei scriptum est, Deuteron. 21. Ille qui egressus fuerit ad pugnam contra inimicos suos, & tradiderit eos Dominus Deus in manus suas, captiuosque duxerit, & viderit in numero captiuorum mulierā pulchrā, & adamauerit eā, volueritq; habere vxorē, introducet eā ad domū suā: quæ rādet ca sariē, & circumcidet vngues, & deponet vestē, in qua capta est; sedēsq; in domo sua flebitq; patrē, & matrē suā vno mense, & postea intrabit ad eā, dormietq; cū illa, & erit vxor sua. In ijs verbis, & Nouitia, quicquid circa statum tuum requiritur, noueris esse descriptum. Victor, est iste Christus, qui in hunc mundum in salutem populi sui egressus est ad Diabolum debellandum. Iste inquam, & Nouitia, de numero captiuorum huius mūdi tāquā prādā desideratissimā sibi separauit, in cuius domo, claustro. s. iā tonso capite, iā veste ad literā immutata resides. Vngues ē tibi victor iste præcidit: qñ vitæ carnalis vsus superfluos à te ressecauit. Vnguis de carne nascitur, & ideo vitæ carnalis vsus designat. Non decet igitur Christi sponsam nimis prominentes, & rostratas vngues habere, sicut illi, qui tantum plus in vestiēdo, dormiendo, & comedendo carnem in desiderijs fouent, quasi in seculo remansissent. In hac autem domo non tibi risus, sed fletus indicitur. Et hoc pro tuis defectibus, qui per mensem designantur: eo quod mensis à mene dicitur, quod defectum sonat: vt sic, fletu peracto, Christo victori efficiaris penē vxor, quod fit postea in profectio.

Nota si-  
guram.

Vngues  
quare  
præcidū-  
tur.

μην  
Græcè  
Luna di-  
citur. nā  
Lunæ  
curricu-  
lo mēsis  
conficit.

fessione : & sicut etiam post fletum, & lamentatio-  
 nem dormiat tecum, consolationem spirituales  
 immittendo : quia postea quam dolueris de ma-  
 lis tuis, restat vrte consoletur in bonis suis. Po-  
 test tamen per tonsionem capitis, & mutatione  
 vestis aliud designari. Per capillos ista tempo-  
 ralia, quæ extrinseca sunt, Per vestem verò con-  
 uersatio designari consuevit. Tonso capite, cha-  
 rissima offeraris sponso tuo, idest, corde à rerum  
 temporalium amore superfluo peritus denuda-  
 te : habitum etiam mutes, vt conuersatio tua  
 prius terrestris, tota conuertatur in coelestem.  
 Vide ergo ex prædictis, quam totaliter à mun-  
 do te oportet separari, & disungi, vt eidem to-  
 taliter coniungaris. Totalitas autem huius con-  
 uersationis in duobus consistit, vt nihil tecum de  
 suo afferas, sicut patet per figuram prius positā,  
 vt nihil de tuo penes eum dimittas. Nihil dico  
 de mundo tecum afferas, vt nihil habeas cum il-  
 lo, ne vllam possis contra remouere calumniam.  
 Attende, quod Rachel à patre suo Laban fu-  
 giens, Genesi 31. idola ipsius secum legitur de-  
 portasse, quæ sub stramentis cameli abscondit.  
 Ob quam causam ipse pater calumniam contra  
 filiam fugitiuam commouit. Per Laban, qui deat-  
 bat, interpretatur, intelligitur Mundus, falsa  
 quadam superfluis imaginis. Per Rachelen au-  
 tem, quæ interpretatur Ovis, claustralis anima  
 designatur. Quæ super autem idola, quæ furtim  
 sublata sunt à Rachele, nisi sit mundani honores,  
 gestus,

Conuer-  
 satio to-  
 talis in  
 duobus  
 consistit.

Quæ  
 Religio-  
 sus nihil  
 tecum tol-  
 lere de-  
 bet.

Laban  
 Dealba-  
 tus.

Rachel  
 Ovis.

gestus, & mores seculares, proprii sensus, & propriæ voluntatis defensio, quæ stulti claustrales secum in claustro deferant, & cum Rachele sub framentis cameli, id est, vili, & aspero habitu claustrali abscondunt? Noli ergo, o charissima, idola Laban sub ista cuculla, quam defers, abscondere, ne mundus aliquid super te de suo inueniat: ne, ut plus habeas de seculo, videaris seculum reliquisse, ne de furto argui valeas; neve, (quod est furtum subtile) in hoc mundo placere appetas, quod mundo placere comemmis. Mirum enim in modum, (ut dicit Hieronymus) Laus appetitur, ubi deuita puratur. Timeas, quod ibi dixit iacob ad Laban: Apud quemcumque inueneris Deos tuos, occidatur coram filiis suis. Item, à mundo, charissima: liberare, & separare, ut nihil de tuo, mundo relinquant; sicut quidam, qui à mundo, corpore recedentes affectus suos penes illum relinquunt. Tales sunt sicut avis auolans cum ieciis, quæ tandem per iecios ad arborem suspenditur, & capitur. Si à mundo, charissima quasi avis auolasti, sicut de Ephraim dicitur, Osee 9 præcidas à corde tuo iecios affectuum mundanorum, qui volatum tuum periculosissime impedirent, ne tibi impropereetur illud, Ezechielis 16. Hodie ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus. Dies ortus, dies conuersionis ad claustrum designatur, ubi verus claustralis, dum moritur mundo, nascitur Deo. Per umbilicum, quo puer matri suæ hæret in utero,

car-

Hieronymus.  
Nota.

A pecu-  
lo mon-  
nachus  
suspendi  
tur.

carnalis designatur affectus, quo carnales claustrales erga suos carnaliter detinentur astricti, quasi vaccae post vitulos mugientes. Time ergo Deum, & recede à malo, ut sic, sanitas sit umbilico tuo. Sanitas enim umbilico tuo efficitur, quando per timorē Dei carnalis affectus reprimatur. Sequitur in prædicta auctoritate: Et charitatem desponsationis tuæ. Hoc autem pertinet ad professas. In professione enim fit desponsatio per verba de præsentī, cum ibi obligat, & astringit se profitens ad obedientiam, & loci stabilitatem: & huiusmodi illaqueatur proprijs verbis oris sui. Noli conqueri (charissima) in tuæ professionis vinculo propter præceptorum multitudinem: te nimis esse astrictam; sciens quod quanto strictius, & fortius Christo te astringes, tanto fortius, & strictius Christum astrictum retinebis. Et nota, quod dicit charitatem desponsationis suæ, quia charitas, quæ est vinculum perfectionis, (sicut dicit Apostolus ad Ephesios 4.) perfectè facit in Deum consentire: & ideo perfectum matrimonium inter ipsum, & animam facit in actu professionis. Etiam charitas dicitur præcipuè operari, & apparere, quia profitens in actu illo se Deum charum habere comprobat, quia omnia alia propter ipsum cum Apostolo facit detrimentum, sæculo, & eius pompis abrenuntiando. Et attende quod dicit Apostolus se omnia huius mundi concupiscibilia detrimentum fecisse, contra multos, qui ea benè dicunt de-

Secundū  
matrimoniu.  
De statu  
professionis.

Præceptorum  
multitudo  
utilis

Nota  
multa  
pulchra  
de matrimonio  
spiritualit.

detrimentum, cum omnia ista sequi, appetere, & amplectari videantur. Et notandum, quod licet charitas ( vt suprà dictum est ) quodam iure matrimonij, Deum cordi, & cor Deo liget, & astringat; in tantum, vt qui sic adhæret Deo, vnus efficiatur spiritus cum eo: non tamen ita familiarem, nec ita solatiantem eum potest cordi reddere, sicut sponsa vellet, imò in consortio tali, sponsi, sponsam aliquando tentari contingit, & multipliciter fatigari. Nec mirum, potentes enim huius sæculi, cum in partibus extraneis, & remotis vxores ducunt, vbi à paucis cognoscuntur, non magna conuiuia, non multos ioculatores habere consueuerunt: sed cum sponsam in proprium regnum, & proprium thronum introducunt, tunc fiunt apparatus multiplices, tunc plateæ ciuitatis parantur, tunc tympanistriz, & diuersa ioculatorum genera occurrunt, tunc ab operibus omnes cessant. Eodem modo, quando animam Christus in præsentem, in hoc exilio, in valle lacrymarum desponsat, quasi occultum est huiusmodi matrimonium, & non festiuium, tanquam in terra aliena, vbi Christus sponsus à paucis est agnitus: quia licet in propria venerit, sicut dicit Ioan. 1. tamen sui eum minimè receperunt. Noli ergo (charissima) moueri, si te in hoc afflictionis loco affligi oporteat, in quo ipsæ etiam afflictiones de festo sunt nuptiarum. Pro festo enim conuiuæ nuptiarum in quibusdam partibus sese consueuerunt mutuò super humeros percutere, dicentes  
vnus

Absèria  
spōi du  
ritia su  
stinēda.

vnus ad alterum: Tene de nuptijs. Eodem modo, si te in tuæ professionis matrimonio oporteat aliqua tribulationum, seu tentationum grauamina sustinere, tene totum ad testum. Aduerte comparem tuum Christum, tot laores, tot vulnera, tot opprobria de nuptijs cū tanta promptitudine suscepisse. Noli ergo mirari, noli moueri, si te oporteat in præsentiferre partem tuam de ictibus nuptiarum. Expecta tempus, quod sponso tuo Christo introduceris in regnum, qui tanquam peregrinus tecum exiit in hoc mundo. Tunc omnem lacrymam absterget ab oculis tuis, Apocalyp. 21. Tunc, ictus nuptiarum in cumulum gloriæ conuertentur. Tunc, tanquam in loco proprio plenum festum fiet nuptiarum. Tunc, coelestis Ierusalem omnes plateæ sternetur lapide candido, & mundo, idest strata, seu parata tibi apparebunt, & per vicos eius Alleluia cantabitur, sicut dicitur Tobie 3. Tunc, coelestes ioculatores cum sponso, & sponsa occurrent, sicut promittit Dominus per Isai. 30. Canticum enim (inquit) erit vobis sicut vox sanctificatae solennitatis, & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini, ad fortem Israel. Sequitur tertium: Quia secuta es me in desertum. Hoc pertinet ad statum perseverantiae, & cōsummationis. Ratione enim præteritionis huius verbi, secuta es, notatur hic claustralis perfectio. Desertum appellatur claustrum: nam sicut desertum fuit mediū inter Aegyptum, & ter-

Tertium  
matri-  
monium  
spiritua-  
le.

Claustrū  
desertū  
vocatur.

& terram promissionis; ita vita claustralis quasi medium locum tenet inter mundum, & coelum. Item, Desertum locus est sterilis, & penuriosus; sic claustrum locus est paupertatis, & debet esse, in quo, sicut nec in deserto, delitiae sunt querendae. In deserto Deum sequi est in claustrali disciplina perseverare, & in talibus nuptiae consummabuntur, quando illae, quae hic paratae fuerunt, in thronum cum coadunatas. Ecce tria proponimus secundum tres status matrimonij, iuxta verbum Domini per Iosephum 2. Recordatus sum tui miserrans adolescentiam tuam, quantum ad nouitiam, in quolibet libitatur matrimonium: charitatem desponsationis tuae, quantum ad profectum, in quibus confirmatur matrimonium. Quia sequuta es me in Deserto, quantum ad perseverantes, in quibus perficitur matrimonium.

*De bonis spiritualis Matrimonij; & primo de fidelitate Cordis.*

DICTO de qualitate Matrimonij spiritualis, restat videre de bonis eiusdem. Notandum quod tria esse bona matrimonij carnalis describit August. quae sunt, Fides, Proles, & Sacramentum. Fidem vocat fidelitatem, quam debent sibi coniugati ad invicem. Secundum est. Proles, quae dicitur ibi intentio proles procreandae ad cultum Dei. Tertium est Sacramentum inter Christum, & Eccle-

Tria bona  
matrimonij.

P sian

Nam, sicut dicit Apostolus ad Ephesios 5. Et hoc pertinet ad inseparabilitatem; Nam sicut Christus ab Ecclesia, vel à carne, quam assumpsit, postea non fuit separatus: ita legitime coniugati, separari non possunt, ut, Quod Deus coniungit, homo non separet, Matth. 19. & Marci 10. Iuxta præfatam similitudinem attende tria bona in spiritali matrimonio, Fidem, Prolem, & Sacramentum. In carnali matrimonio (ut diximus) Fides appellatur Fidelitas, quam sibi debent matrimonialiter coniuncti ad inuicem, eo quod unus dominum proprii corporis transfudit, (iuxta sententiam Apostoli ad Ephes. 7.) in alterius potestate. Eodem modo in matrimonio spiritali, inter Deum, & Animam, Fides est, quando corda tam Dei, quam sponsæ inuicem subiiciuntur, & inuicem obsequuntur. Appone ergo (charissima) cor tuum Deo, qui cor suum apponit tibi, sicut dicit Iob 7. admirans: Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Verecundum sit ergo tibi, tuum cor illi non apponere, qui tantum te magnificauit, & tantam te reputauit, ut cor suum tibi apponeret. Amatori cordis præsta accessum ad cor tuum, ipsum cor ab inquieto, & tumultuoso amore huius sæculi totaliter subtrahendo, ipsum cor à tam deformi sæculi conformitate penitus spoliando, ut ab aliene amore alienata, nulli præter eum intendas, ut tibi conueniat illud verbum fidelis sponsæ, Canticor. 7. Ego dilecto meo, supple, in-

ten-

tendo, & ad me conuersio eius: quasi dicat: Dilecto intendo, & mihi dilectus intendit. Item, vt nullius alterius amore delecteris, sicut ibidem legitur: Dilectus tuus electus sit è millibus, Cantic. 15. Item, vt, iuxta [verbum] Apostoli: Illi soli placeas, idest, placere studeas, cui temetipsam probasti, idest, probabilem per votum castitatis exhibuisti. Virginis enim est cogitare quomodo placeat Deo. Ecce funiculus triplex, qui difficile rumpitur, in quo integritas fidelitatis consistit, vt nulli intendas, præterquam ipsi. Vt in nullius amore delecteris, præter suam, vt placere studeas illi soli. Hoc fidelitatis vinculo ipsum tanto amplius retinebis astrictum, quanto ipsi magis te astringes. In huius signum fidelitatis seruandæ datus est tibi anulus in consecratione. Nam, sicut anulus digitum non excedit, nec exceditur, sed ei adæquatur, ita cor tuum ei, cui desponsata es, debet adhærere; vt sicut anulus alium digitum, cum digito illo, in quo positus est, capere non potest: sic amoris tui fidelitas amorem alterum cum Deo comprehendere non valet. Nam, sicut eadem anima non potest simul esse habitatrix duorum corporum, ita amor Dei, & amor mundi non possunt simul in anima dominari. Ideo dicit Augustinus. Totum exigit te, qui totum fecit te. Serua ergo (charissima) anulum fidelitatis cum sponso tuo, vt ab æternis incendijs libereris. Memento Thamar per anuli Iudæ reseruatio-

Nota.

In tribus consistit fidelitas.

Augustinus.

Genes.  
38.

De pro-  
creatio-  
ne spiri-  
tuali.

De pro-  
creatio-  
ne bono-  
rum ope-  
rum,

nem ab incendio liberatam. Secundum bonum  
matrimonij carnalis est proles carnalis. Eodem  
modo; Secundum bonum spiritualis matrimonij  
est Proles spiritualis, quæ sunt opera. Qualia  
habes opera, tales filios habes: si bona, bonos; si  
mala, malos. Bona proles, opera bona, per quæ  
saluatur anima, sicut dicit Apostolus, 1. ad Ti-  
moth. 2. Saluabitur mulier per filiorum genera-  
tionem. Filij adulterio procreati sunt opera ma-  
la, ex tentatione Diaboli tanquam ex semine  
eius, & libero arbitrio animæ procreata. Et si-  
cut saluatur anima per bonorum operum gene-  
rationem, sic damnabitur per generationem ma-  
lorum. Tolle ergo opera peccatorum, tanquam  
filios de adulterio natos, & iuxta vulgare, osten-  
de eis ostium oris tui in confessione, ne contra te  
inferant testimonium in die iudicij: quia sicut di-  
git Salomon Sapient. 4. Ex iniquis omnes filij, qui  
nascuntur, testes sunt nequitie adversus paren-  
tes in interrogatione sua. Quod est dicere: quod  
opera iniquitatis operarios in die iudicij accusa-  
bunt. Tunc enim iniquos in cogitationibus pec-  
catorum suorum timidos coram terribili iudice  
comparentes iniquitates suæ ex adverso tradu-  
cent, sicut legitur in eodem libro cap. 4. Tradu-  
cere, idem est, quod manifestare, siue accusare.  
Tunc illos peccata manifestabunt, qui ea in præ-  
senti manifestare noluerunt. O quam utilis est  
tibi in foro misericordie per confessionem peccatum  
tuum coram Christi Vicario accusare, quam in  
foro

foro iustitiæ, iudicio scilicet, coram tanta, tam hominum, quam Angelorum multitudine à peccato accusari. Præoccupata ergo faciem iudicis in confessione accusando peccatum, ne subito præoccupata accuseris à peccato. Væ ergo illi, qui ubicunque se transfert, circumfert secum accusantes suos, in ipsa conscientia accusante. Talis enim in mortem propriam coniurasse dicitur. Sed beatus, qui quocunque se transfert, portat secum suos defensores, scilicet bona opera, in conscientia defendente.

*De Sacramento, quod est Perseuerantiae,  
sive inseparabilitatis.*

**T**ertium bonum est Sacramentum, quod spectat ad perseuerantiam, ut nunquam separetur à Christo, sicut Christus separatus nunquam fuit, nec separabitur ab Ecclesia. Hæc est Perseuerantia, quæ sola apprehendit coronam. Quia, qui perseuerauerit, usque in finem, hic saluus erit. Matthæi 10. Super quem locum dicit Chrysostomus: Assueverunt multi in principio feruentes esse, in fine verò remissi fuerunt & dissoluti. Quæ utilitas seminum, florentium, postea tabescentium? Unde Bernardus, loquens de perseuerantia ait: Perseuerantia vigor virium, virtutum consummatio est, nutritrix ad meritum, mediatrix ad præmium, Soror est patientiæ, constantiæ filia,

Tertium bonum  
matrimonij.

Bernardus in Epistola ad Ianuenses,

Despon-  
satio in  
fide.

filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Ecce in matrimonio spirituali tria bona descripsimus, videlicet: Fidelitatem cordis, Prolem boni operis, & Sacramentum Perseverantiæ, seu inseparabilitatis. Et hæc tria tangit Dominus loquens per Oseæ. 2. animæ claustrali dicens: Sponsabo te mihi in fide, sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus, sponsabo te mihi in sempiternū. In serie verborum istorum tangit Dominus illa tria, quæ tetigimus, scilicet Fidem, Prolem, & Sacramentū. Fidem per hoc, quod dicit: Sponsabo te in fide. Fides, seu Fidelitas hæc est, vt, sicut vehemens amator tuus Christus non curauit, quid de se ipso fieret, dummodo te sequeretur, & te possideret, sic non curare debes; quid de te fiat, dummodo, ipsum consequi, ipsum possidere valeas. Vt tu omne damnum tam rerum, quam corporis negligas, propter ipsum, sicut ipse per te, seipsum nixus est totaliter negligisse: & sic fidelis inueniaris cum illo. Qui enim negligit damnum propter amicum, iustus est, dicitur Prouerb. 12. Per hoc, quod dicitur: Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, in misericordia, & miserationibus, designat Dominus secundū bonum matrimonij spiritualis, quod est Proles bonorum operum; & tangit Dominus in his verbis  
duo

duo genera operum : opera videlicet iustitiarum, quantum ad nos, & opera misericordiarum, quantum ad proximum. Nam, iustitiam tibi debe, Misericordiam proximo. Sed sunt aliqui, qui ordinem istum permutant. Nam proximis iustitiam, sibi ipsis misericordiam impartiri volunt, dum alijs rigidi sunt, & austeri, eos temere iudicantes, & inique condemnantes, sibi ipsi tantum compassionem, excusationem, & defensionem retinentes. Tales, quod alijs deberent impendere, sibi retinent, & quod sibi retinere deberent, alijs impendunt. Hæc iustitia, de qua hic loquitur, quam bonum matrimonij dicimus esse, est omne opus discipline, per quam homo se ipsum iustificat. Et sicut in terra, ubi iustitia non exercetur, latrones converfantur; & Vbi non est catus, mures lasciuunt: sic in corde, ubi non est disciplina, tentationes frequentiores se ingerunt. Ideo conqueritur *Isaias. 26.* in persona talium dicens: † Iustitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores eius. In terra sua iustitiam non facit, qui corpus suum per iustitiam non castigat. Ideo habitatores mali, voluptates scilicet, & peruersa desideria non recedunt, sed quasi in tuto manent. Dicit enim *Seneca*: Quod voluptates morte harum in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. Iustitia autem hic facienda est cum iudicio, id est, cum discretione. Ideo in præfata auctoritate cum dicit: Sponsabo te mihi in iustitia, addit: & iudicio: ut iustitia poenitentia, & fa-

Iustitia  
debet in  
se ipso  
ex-  
ri.

Iustitiæ  
fructus  
est pax.  
† Alias,  
Salutes,

Seneca.

Discre-  
tio ha-  
benda.

satisfactionis, exerceatur iudicio discretionis. Hoc iudicium præcipue est, ut tibi de te non credas, nec de consilio tuo viuas, sed quod docet Ecclesiasticus, 30. dicens: Non affligas te met ipsum in consilio tuo: Et illud maxime animæ claustrali observandum, quæ vitam communem sequi debet, & vitam propriam, non ad consilium proprium, sed ad Regulam ordinare. Tunc vita claustralis discretè, & regulariter ordinatur, quando quilibet in claustro tenet locum suum. Vnde attende, quod sicut locus fortium & sanorum est Conuentus: ita debilis & infirmorum est Infirmitorium. Non erubescat ergo debilis tenere locum suum, nec locum infirmus usurpet. Attende etiam Mobiales in claustro, quali quasdam notas in Breniario: Notæ autem in Regula possunt dici illæ, quæ conuentum sequuntur. Notæ verò in spatio, illæ, quæ in Infirmitorio resident, & illæ, quæ in exterioribus officiis occupantur. Et sicut ad consonantiam tantus tantum facit nota in spatio, quantum nota, quæ est in regula: ita, illæ, quæ in infirmitorio resident, & illæ, quæ in officiis exterioribus occupantur æqualiter cum alijs, quæ conuentum sequuntur ad vitæ communis conferunt harmoniam: & æqualis præmi efficiuntur participes iuxta sententiam David. 1. Reg. 30. Quod æqualis dabatur portio, remanentibus ad sarcinas, & ♯ euntibus ad prælium, & similiter diuidebant. Remanentes ad sarcinas  
funt

† Alias  
descen-  
dentibus

sunt infirmæ, & debiles & ad domus officia occupatæ: quasi ad prælium vadunt, quæ in conuentu se tenent, quæ procedunt quasi castrorum acies ordinata. Sed notandum, quod notæ in spatio consueuerunt aliquando cantari per B. molle; ita illæ, quæ ad Infirmitorium declinant, mollius cantant, in pluma scilicet, in lecto, & in carnibus in mensa: ab illis verò, quæ Regulæ conuentus adherent, cantatur durius, quia eis competit durior dieta, & asperior. Sequitur in præfata autoritate Osee. 2. Sponsabo te mihi in misericordia, & miserationibus, hoc spectat ad proximum. misericordia in donando, miseratione in compatiendo. Vt sicut monet Isaias. 58. Esurienti animam tuam, per miserationem compassionis, effundas: & animam afflictam, per effectum misericordiae repleas. Vt iuxta verbum Chrysostomi: Qualem vis ut Deus se tibi exhibeat, talem te proximo tuo studeas exhibere. Quod sequitur; Sponsabo te mihi in sempiternum, spectat ad Perseuerantiam: de qua dictum est supra. Et hæc de bonis matrimonij dicta sufficiant.

Cantus infirmatium.

Chrysostomus.

*De Ornamentis animae, & primo de lotionem animae per Baptismum, & Passionem.*

**P**ost longum, & multiplicem tractatum de matrimonio spirituali, ultimo restat dicendum

dum de ornamentis animæ, quibus ipsa Christi sponsa paratur, ad hoc ut sponso placeat. Et, ut Confusionem istorum ornamentorum declinemus; de illis solummodo tractabimus, quæ Dominus animæ peccatrici impropertat; dicens per Ezechielem. 16. contulisse in Baptismo. Sed per peccatum omnia huiusmodi ornamenta perdidit, ubi alloquens animam peccatricem ait: Laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calceauī te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento, dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi in aurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris capiti tuo. Et ornata es auro, & argento, &c. Ecce tresdecim ornamenta animæ tanguntur in verbo proposito, de quibus per singula pauca dicemus. Primo ergo ostendens, quod dicitur. Laui te aqua; Aqua videlicet, quæ fluxit de latere meo in passionē: quando scilicet, vnus militum lancea aperuit latus tuum Christe, & continuo exiuit sanguis, & aqua, & emundasti sanguinē peccatorum meorum à me. Nec mirum si mundasti me à sordibus peccatorum meorum tali aqua, quæ ita bulliens & callida exiuit de profundo cordis, tanquam de fornace quadam succensa igne vehementis, & ardentis amoris ad me mundandum, & Diabolū canem impudentissimum fugandum. Hinc est, quod Ana aquas calidas inuenisse in deserto legitur;

Nota.  
13. Ornamenta  
animæ.

Aqua  
quomodo  
habuit  
virtutē  
nāi  
dandi.

gitur, Genes. 36. Quid per Anam, qui Gratificatus interpretatur, nisi anima renata per gratiam Baptismalem? Quid per desertum, seu solitudinem, nisi corpus Christi pendens in Cruce ab omnibus derelictum? Quod etiam pro statu suæ passionis desertum dicitur, eo quod tot liuoribus, secundum vulgare, totaliter erat desertum. Ab isto Deserto liquores pretiosi aquæ, & sanguinis manauerunt igne charitatis vehementissimo calefacti. Hac aqua loti sumus in Baptismo, qui virtutem mundatiuam accepit à passione Christi, sicut dicit Apostolus, ad Rom. 6. An ignoratis, quia quicumque Baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius Baptizati sumus? In hoc etiam (sicut ait Apostolus) tradidit semetipsum in passione, scilicet, ut populum acceptabilem emundaret. Istius aquæ Baptismi figura præcessit in illa aqua, quæ de ipsius latere emanauit. Non solum aqua, sed & sanguine lauit, & fecit de se ipso lixiuiam ad mundandum te, sicut Ioannes ait Apocalypsis. 1: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Post tam charam lotionem noli te iteratò inquinare, ne compellatur conqueri, dicens: Quæ utilitas in sanguine meo? quasi dicat: sanguis meus non videtur utilis fuisse, ex quo post tam sumptuosam lotionem, in munditia non perseuerastis. Ideo dicit per Isaiam. 1. Lauamini, mundi estote, quasi diceret: Postquam mundi estis, in munditia perseuerate. Attende, quod

Psal. 24.

Munditia  
seruanda.

Q 2

vasa

vasa hospitij tui, scilicet Cyphum, scutellam, lin-  
teamir a, & mappam vis munda habere, & solum  
Cor immundum habes, quod tamen omni vase  
pretiosius est. Ne maior cura sit de Cypho, vel  
scutella, quam de corde; Aduerte quod dicit  
Dominus Deus cordis tui, per Ierem. 4. Laua à  
malitia cor tuum. Et si quæris, quæ est ista ma-  
litia, à qua cor lauandum dicit; determinat cū  
subiungit ibidem: Usquequo morabuntur in te  
cogitationes noxiæ? quasi dicat: Mora noxiarū  
cogitationum ipsum vas cordis reddit immun-  
dum. Circa lotionem cordis tui tibi propositā  
attende, quòd non solum aqua, & sanguine, sed  
etiam sudore, & lachrymis balneum cordi tuo  
præparauit, Lotrix tua Christus, vt balneeris,  
& cureris. Væ tibi si nunquam balneum istud,  
tām mundum, tām medicinale intraisti. Hoc bal-  
neum intrare, est affectum suum, & cogitatio-  
nem ad beneficium passionis Christi inclinare, &  
mergere. Vtinam saltem pes tuus intingatur in  
sanguine; vt pedes affectus tui liquore tām pre-  
tioso habeas rubricatos. Nota quod dicit: Tin-  
gatur, Quia non solum sanguis Christi ad mun-  
dandum, sed etiam ad te tingendum, effusus est.  
Vnde Baptismus, qui virtutem suam à Christi  
sanguine habet; idem est, quod Tinctio. Atten-  
de, si purpurati, vestes suas de scallata timētas in  
grana cautē custodiunt ne detingantur, alicuius  
liquoris inficientis aspersione: quanto magis tin-  
cturam, quam in vulceribus Christi accepisti, so-  
licite

Balneu  
animæ.

licitè debes conseruare? ne compellatur Dominus dicere: Tren. 4. Quomodo mutatus est color optimus. Attende, quotiens ipse Christus albam scallatam suam iactauit in tincturam, in Circuncisione, Flagellatione, Sanguinis sudore, spinarum Coronatione, Crucifixione, & Lateris apertione: quotiens inquam, effudit sanguinem suum, totiens albam scallatam suam posuit in tincturam. Ideo dicit Sponsa, Cant. 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus. Vt ergo cum Domino tuo, in cuius societatem vocatus es, (vt dicit Apostolus,) habeas vestes eiusdem coloris; exposuit tibi tincturam sanguinis sui, iuxta illud, quod scriptum est, Cant. 6. Comæ capitis tui sicut purpura Regis† tincta canalibus. Comæ Ecclesiæ sunt fideles, Christo adherentes capiti, qui purpuræ regis tinctæ canalibus comparantur. Quid per canalia, nisi Christi vulnera vult intelligi; per quæ, quasi per quædam canalia fluentia misericordiæ ad nos profluerunt? Et sicut etiam canale non sibi retinet aquam, sed vterius effundit; sic Christus non pro se passus est, sed pro nobis. Noli ergo esse auis discolor, vt à Christo repellaris, dicente per Ierem. 12. Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi? quasi diceret: non. Quid est tincturam in canalibus vulnorum Christi retinere, nisi in mortificatione carnis, & passionum tolerantia perseuerare? Sed nota, quòd sunt quidam, qui in lana tinguntur, quidam in filo. Dicitur quòd pannus tinctus in

lana

Tinctura humanae Christi.

† Alias vineta, vel iuncta. Canalia Christi vulnera.

Tinguntur in lana, qui bene incipiunt in iuuentute.

Secundū ornamentum,

Hilaritas in opere seruāda.

\* Vel in hypocriſi.

\* Alias myrtino

lana non amittit colorem ſuum, quantumcunq; conteratur: ſed qui tinctus eſt in filo, citò decoloratur. Tincti in lana ſunt qui in iuuentute benefacere incipiunt, tales retinent tincturam, quia ſaltem ex verecundia peccare non auderent. Dicitur enim Prouerb. 22. Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea. In filo tinguntur, qui in virili ætate, vel ſenectute benefacere incipiunt. Tales non benè tenent tincturam ſuam, imò de ſacili detinguntur, id eſt, à bono incepto tepeſceunt. Sequitur: Vnxit te oleo. Per oleum in hoc loco lætitia ſpiritualis, & mentis hilaritas ſignificatur, quo debet inungi anima pœnitens, iuxta verbum Domini in Euangelio, vbi dicit: Tu autem cum ieiuas, unge caput tuum, Matth. 6. Loquitur Dominus ſecundum morem Paleſtinarum, qui in diebus feſtiuiſ vngebant ſe. Quasi diceret Dominus: Cum ieiuas, feſtiuum, & hilarem te exhibe: vt de te poſſit dici illud: Pſal. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiae, præ' conſortibus tuis. Ergo ſi vis ieiunium tuum acceptum eſſe Deo, non ſeruias ei, à rechinnebet \* in triſtitia, ſed iuxta verbum Eccleſiaſtici 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. In ieiunio ergo tuo facias craſſum olus; vt ſacrificium operum tuorum, & tribulationū, charitatis, & lætitiae ſpiritualis pinguedine ſaginetur. Attende, quòd domicellæ, quæ ingredi debebant ad cubiculū Regis Aſſueri oleo † myrrhino vngebantur, ſicut legitur Eſther. 2. Quid per

per cubiculum Regis Assueri, nisi requies æterna designatur; Vbi in pace in idipsum, cum vero Rege tuo dormies, & requiesces? Si vis ergo ad illud cubiculum intrare, vngere te prius oleo † myrrhino oportet. Per oleum † myrrhinum, quod est valde mitigatiuum, hilaritas mentis significatur, per quam labores, & dolores iustorū mitigantur. De hoc oleo scriptum est Ecclesiastæ 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida. Hoc spectat ad lotionem, de qua supra diximus. Et post sequitur: & oleum de capite tuo non deficiat. hoc pertinet ad mentis hilaritatē de qua hic loquitur. Sequitur. Vestiui te discoloribus, id est, veste diuersorum colorum: per quod (secundum glossam) significatur diuersitas virtutum, quæ animam mira varietate decorat. Alterius enim coloris est Iustitia, alterius Misericordia, alterius Patientia, alterius Humilitas, & sic de alijs. Ita enim varietas virtutum representatur in imaginibus sanctorum, quæ in vestibus diuersorum colorum in picturis Ecclesiarum depinguntur. Contingit etiam ista veste diuersorum colorum animam iusti decorari, & præparari in diuersitatem temporum. Sicut enim mulieres nobiles in profestis diebus induuntur communibus vestimentis, in festis autem pretiosis: sic & in magnis Ecclesijs pro congruentia solennitatis induuntur varijs indumentis. In festo Martyrum rubea habent indumenta, In festo Virginum candida, In Festo Confessorum

† Alias myrrhino  
† Alias myrrinū

Tertium ornamētum.

Diuersitas virtutum.

li-

Virtutū  
dispari-  
tas.

liuida : sic anima iusti pro varietate festiuitatum  
& solennitatum debet indui veste diuerforum  
colorum, & sibi debet assumere varia indumen-  
ta. Verbi gratia in Natiuitate Domini per con-  
gruentiam solennitatis debet indui veste humi-  
litis : Parvulus enim tunc datus est nobis. Isa. 9.  
Tūc enim anima veste humilitatis induitur, quan-  
do exemplo humillimæ Natiuitatis Christi humi-  
liatur. In Passione eius debet indui veste luctus,  
& disciplinæ, quia tunc Dominus suus in Capitu-  
lo Crucis durè disciplinatus est pro nobis, secun-  
dum illud Isa. 53. Disciplina pacis nostræ super  
eum. In Resurrectione autem eius debet indui  
veste gaudij, & exultationis. Tunc enim gauisi  
sunt discipuli viso Domino, Ioan. 20. In Ascensio-  
ne debet indui veste spei, & amoris, secundum il-  
lud verbum, quod scriptum est Ioann. 14. Si dili-  
geretis me, gauderetis vtique, quia vado ad pa-  
trem. In Festo Martyrum debet indui veste pa-  
tientia. In festo autem Virginum veste charita-  
tis, & sanctimoniae, & ita secundum varietatem  
solennitatum, varietatem vestium spiritualium  
debes assumere. Apta ergo cor tuum solenni-  
tati, & sic varietate vestium paraberis, & orna-  
beris. Noli esse sicut rusticus, & pannosus, qui  
omni die, & festivo, & simplici eadem veste in-  
duitur. Attende quod dicitur Psal. 44. Assitit Re-  
gina à dextris tuis in vestitu deaurato, circunda-  
ta varietate. Per vestitum deauratum Charitas  
intelligitur, quæ propter suam pretiositatem  
deau-

deaurata dicitur. Per varietatem, qua dicitur circundata, virtutum varietas designatur. Et hoc est, quod hic dicitur: Vestui te discoloribus. Possunus nihilominus vestem discoloram, ad decorem conuersationis exterioris conuertere. Quoniam enim homo scit se diuersis hominibus, vel hominum generibus conformare, quodammodo diuersorum colorum veste induitur. Quod maxime requiritur in prelato, qui suscepto regimine se constituit debitorem. Sic indutus erat Apostolus; qui omnibus se conformabat dicens: 1. ad Corinth. 9. Factus Iudæis tanquam Iudæus. Ijs, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem. Et post multa talia concludit: Omnia omnibus factus sum, ut omnes saluos facerem. Vide, quot coloribus depicta erat cōuersatio Pauli, qui omni generi hominum se conuerat conformare: ita ut de ipso possit dici, quod Sapientiæ. 18. legitur; Quod in veste Poderis Aaron descriptus erat vniuersus orbis. Tunc in veste iusti vniuersus orbis describitur, quando eius conuersatio omnibus conformatur; ut possit dicere: Omnibus omnia factus sum. quod ita fieri debet, ut vitæ rectitudinem iustus retineat. Vnde dicit Glossa super prædictū verbū Apostoli. Prudēs Apostolus omnibus cessit; propositum tamen veræ religionis non excessit: quia vbi cessit, ad hoc cessit, ut proficeret. Ideo subdit: Ut omnes saluos facerem. Si quæras, quomodo potero me peccatoribus conformare exterius, & rectitudinem

R cordis,

Conuer-  
satio ex-  
terior di-  
uersis di-  
stincta.

Exodi.  
28.

Amicus  
confor-  
matur a-  
uibus.

Quartū  
ornamē-  
tum spi-  
rituale.

cordis, & veritatem Religionis interioris retinere. Responderi potest, quod debet vir sanctus austeritatem suam, poenitentiam scilicet celare, quam in occulto facit, & aliquid simile, & conformem ostendere peccatoribus; ipsum peccatorem, scilicet humiliter alloquendo, seipsum peccatorem indicando eidem, pro tempore corrigendo, & communibus sermocinando, sicut illi, qui volū capere aves sylvestres, habent picturam avis, ut aliae aves in eo effugiant, sed securius accedāt, quia vident suae speciei similitudinem sibi praesentari. Sic huiusmodi picturas affabilitatis, & condescensionis exterius. O Praedicator, O Praelate ad eosdem attrahendos ostendere te oportet. In cuius rei figura legitur Exodi. 44. quod Moyses operiebat faciem suam, quando ad populum loquebatur. Faciem suam operire; est austeritatem vitae suae celare, & se conformem populo exhibere, ut ipse populus attrahatur. Sic enim Ioannes Baptista faciem suam cooperuit, dum ad populum loqueretur. Licet enim vinum uba biberet, tamen vinum non bibendum nunquam praedicavit, Licet cilicium portaret, nunquam tamen cilicium portandum docuit. Sed tantummodo illud, ad quod omnes tenebantur, scilicet: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnū coelorum. Matthaei. 3. Sequitur: Calceavi te hyacintho; per hyacinthum, qui habet colorem caeruleum, coelo similem; coeleste desiderium designatur, quo pes interior, affectus videlicet debet

debet informari: Hyacintho ergo calciari, est  
coelestibus desiderijs cor suum informare.  
Fac ergo de toto coelo calceamentum, seu sotu-  
larem tuum, affectum tuum coelestibus dese-  
derijs informandum: ut possit de te dici illud Can-  
tic. 7. Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamen-  
tis, filia principis! Non decet filiam Regis ire nu-  
dis pedibus, id est, affectibus coelestibus separa-  
tis. Dicitur enim Ieremiæ. 2. Prohibe pedem tuū  
à nuditate. Non sunt enim calceati, qui in sordi-  
bus pedes affectionum suarum immergunt: nisi  
secundum quod pueri dicuntur facere calceos  
de luto, quando in spisso luto pedes, & tibias  
infigunt. De talibus dicitur illud Ieremiæ Thr.  
1. Sordes eius in pedibus eius. Sordes habet in  
pedibus ille, cuius affectus immundis desiderijs,  
& carnalibus voluptatibus sordidatur. Laua er-  
go pedes tuos ab istis voluptatibus, vel sordibus,  
& tunc assume tibi totum cælum, tanquam cal-  
ceamenta picturata. In huiusmodi figura Episco-  
pi Sandalia habent in pedibus, quando ad mini-  
sterium altaris se præparant. Tali calceo volebat  
Apostolus, ad Eph. 1. calceari, quibus scribebat  
dicens: Calceati pedes in præparationem Evan-  
gelij pacis. Sequitur. Cinxisti te bysso; per bys-  
sum, quod est genus candidissimi lini, candor ca-  
stitatis designatur. Sicut enim byssus per multas  
tunfiones venit ad candorem; sic cum multo la-  
bore, & cum multarum disciplinarum tunfioni-  
bus ad munditiam, & castitatis puritatem per-

Pedes  
non ma-  
culados  
ostēdit.

Quintū  
ornamē-  
tum spi-  
rituale,

uenitur. Vnde lib. 1. Paralipom. 4. legitur: Cognationes operantiū byssū, sūt in domo iuramēti. Domus iuramēti claustrū appellatur, in quo professione castitatis, stabilitatis, & huiusmodi veri claustrales iurati sunt cum Deo: & ij cognationes appellantur. in quo notatur vnanimitas, & vniformitas, quæ inter Religiosos esse debet. Isti dicuntur byssum operari, cum per multiplicem disciplinarum claustralium tunctionem carnem suam ad candorem castitatis perducunt. Hoc bysso cinguntur, qui voto castitatis astringuntur. Hoc cingulo Dominus discipulos suos cingi iubet, dicens Lucæ 12. Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos enim verè præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Hoc cingulo non tantum lumbos, imò etiam pectus præcinctum habere debes. Hinc est, quòd Ioannes Apocalypsis 1. Angelum vidit Zona aurea ad mammillas præcinctum. Zona aurea ad mammillas præcingitur, qui fluxum cogitationum carnalium in corde reprimat, & restringit. Attende, quòd corrigiæ paruulorum, eorum tunicis à matribus eorum cōsueuerunt consui, ne eas perdant. Ita cingulum acu voti tibi noueris esse consutum, quo iugiter astringaris. In signum huius rei præcipitur Religiosis, quòd iaceant cincti, ut castitatis cingulo semper cogitent se esse astrictos. Nota, quòd homo laxè cinctus sinum non facit, ubi possit aliquid reponere, quia quod ibi ponitur totum cadit. Eodem modo cor incontinentens,

Gregor.  
in homel.

Castitas  
voti cō-  
seruat.

Religio-  
si curia  
ceat cin-  
cti.

tinens, quod fluxum carnalium cogitationum non restringit: non habet ubi bona sua reponat; quin potius, quicquid boni habet, totum effunditur. Dictum est enim illi Ruben, qui fratrem patris sui maculauerat, Genes. 49. Effusus es sicut aqua. Stratum patris tui coelestis, conscientia tua est: noli ergo eam turpissime maculare; si vis bona tua ad modum aquæ ibi totaliter non effundi. In huiusmodi etiam signum sic cinctus debet esse, & iacere Religiosus, ut aliquantulum finem faciat, ut inter tunicam, & carnem via manu præcludatur, contra quosdam, qui ita laxè iacent, quasi cingulum non haberent. Attende autem quod duo genera hominum consueverunt strictè cingi; pugnaturi videlicet, & ministraturi. Videre contingit pugiles, & escarios ad mensas nobilium seruiantes strictissime cinctos. Sic, quia nos in mundo sumus tanquam in mundo certaminis, & etiam nobilissimi Regis ministerio deputati; necesse habemus strictè cingi cingulo castitatis, ut non solum ab operibus incontinentiæ, sed etiam ab appetitijs abstinemus, & à delectationibus immundis nosmetipsos restringamus. Attende iterum, quosdam genere morem ribaldorum, qui in tempore assiuo sedentes iuxta potum ad vinum cincti non sunt, sed deportant corrigiam circa collum. Tales sunt, qui corde fluxum inordinatum non restringunt, & multa de castitate loquuntur, corrigiam castitatis in collo, id est in sermone

Strictè  
qui cincti  
sunt.

ne tantummodo deferentes. Collo enim sermones formantur. Attende, si corrigia ab amico data, chara haberi, & libenter portari consuevit, & libenter conseruari: quanta requiritur diligentia in conseruatione cinguli castitatis à Christo desuper dati? Nemo enim continens esse potest, nisi Deus det: vt legitur Sapientiæ. 8. Hæc est enim fortis mulier, id est Sapientia increata, Christus scilicet, qui cingulum tradidit Chanaanæo, vt dicitur Prouerb. ultimo. Chanaanæus commutatus interpretatur, & Religiosum designat, qui à statu pristino totaliter debet immutari. Custodi ergo, (charissima) hoc continentiae cingulum à sponso tuo Christo tali virtute, & Dei Sapientia tibi datum. Hoc enim donum est inappretiabile, eo quod non est digna ponderatio animæ continentis, vt dicitur Ecclesiastici 26. Hoc autem cingulum, maximè in sobrietate conseruatur. In cuius rei figura legitur Ieremiæ. 13. quod lumbare suum, quod posuit iuxta fluuiū Euphraten computiuit. Quid per Euphraten, qui frugifer interpretatur, nisi temporalium abundantia? Quid per lumbare, nisi Castitas designatur? Quod lumbare iuxta Euphraten putrefactum est, significat, quod castitas in abundantia temporalium de facili putrescit. Ideo Dominus ad locum siccitatis, id est claustrum te adduxit, vel attraxit, vt lumbare tuæ castitatis sanum, & integrum valeas conseruare.

Castitas  
à sobrie-  
tate cō-  
seruatur

De

*De Camisia Sponsae, quae ad fidem  
pertinet.*

**S** Equitur; Vestiui te subtilibus. Per hanc vestem subtilem, Gallicè, *delie*, Fides intelligitur; & dicitur pluraliter subtilibus, propter pluralitatem articulorum Fidei. Vnde articuli Fidei tuæ sunt, Incarnatio, Natiuitas, Passio, & cæteri non sunt, nisi quædam fila tenuissima, quibus Camisia tibi per Fidem textur. Et sicut Camisia est primum indumentorum, sic Fides prima virtutum. Nunquam ista Camisia à dorso cordis tui extrahi debet. Iuxta prædictam similitudinem dicitur de muliere bona Prouerb. vii. Sindonem fecit, & vendidit. Et est Sindon tela tenuissima; mollis, & candida ex bysso facta. Idem iuxta Sanctorum expositionem significat fidem sinceram, & catholicæ prædicationis, quam Ecclesia subtili intelligentia comminationibus suppliciorum, & promissionibus cælestium gaudiorum, correctionibus, & exhortationibus fideliter intexit. Hanc Sindonem vendere dicitur bona mulier, id est, Ecclesia, quando pro doctrina Fidei, quam prædicat, accipiuntur in auditoribus virtutes, & bona opera. Vnde in prædicatione fit quoddam forum, seu mercatum; quia prædicator dat pretiosam pecuniam verbi Dei, & auditores debent dare vitæ correctionē.

Sextum  
ornamē  
tum spi  
rituale.

Fides pri  
ma vir  
tutum.

Item,

Item, alio modo intelligi potest, quod hic dicitur: Indui te subtilibus. Anima enim cogitationibus & desiderijs quasi stamine & trama, vel subtegmine texit sibi indumentum, quo operitur, & sunt cogitationes staminis loco; & affectus, seu desideria loco subtegminis, & sicut stamen subtilius est, quam subtegmen; ita subtilius, & spiritualius cogitamus, quam desideramus. Omnis enim cogitatio quanto spiritualior, tanto subtilior: & eodem modo de desiderio. Ipsum etiam cor humanum istam texturam repræsentat. Nam quasi textum videtur. Sunt autem quidam, qui valde exilia, & subtilia fila habent in stamine cogitationum, crassa autem & nodosa habent in subtegmine desideriorum, dum terrena, & carnalia desiderant, & tale stamen cum tali subtegmine non bene convenit: imò crassities, & ruditas subtegminis rumpit sæpius tenuitatem staminis. Sic carnalitas desiderij rumpit, & dissolvit subtilitatem cogitationis; ita ut homo, qui carnalia desiderat, diu subtilia cogitare non possit. Tales contra legem texere volunt ex lino; lanaque contextum, Deuteronomij. 22. Linum ad subtilitatem cogitationum refertur: lana ad crassitiem desideriorum. Tales non induuntur subtilibus.

De

*De Ornamento Charitatis.*

**S**equitur. Ornavi te ornamento. Non dicit, quo; ut tu intelligas illud ornamentum excellens; à quo omnia ornamenta animæ dependent, à quo omnia ornamenta alia pretium accipiunt, & valorem. Hæc est Charitas, quæ propter sui excellentiam antonomasticè dicitur, ornamentum. Nam sicut, cum dicitur vrbs intelligitur Roma; ita cum dicitur Ornamentum intelligitur Charitas. Vnde Apostolus 1. ad Corinth. 13. Cum de Fide, Spe, & Charitate loqueretur, concludit dicens: Maior horum est Charitas. Ipsa enim Charitas est Ornamentum nuptiale, quo ille, qui indutus non est, excluditur à nuptiis. Vnde, quasi admirans Dominus videns in Ecclesia multos absque veste Charitatis, dicit in Evangelio Matthæi. 22. Amice quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem? Non modica admiratio est, quomodo aliquis in Ecclesia Dei, seu in claustro, stat sine Charitate. Et huiusmodi admirationis Domini, quinque sunt causæ. Prima est, quòd Dominus tantum expendit, ut sponsa sua hanc vestem haberet, cum aliæ vestes fiant de lanis ornum; vel de interioribus vermium, ut sericæ: Huic vesti voluit Dominus materiam ministrare quasi de visceribus suis; cum ipse in lateris sui apertione amorem suum respondit, ut amore eius ad eum

Septimū  
ornamē  
tum spi-  
rituale.

Charitas vestis  
nuptialis.

Pretium  
& valor  
charita-  
tis.

**S** aman-

amandum accenderetur. Vide ergo, quòd materia vestis tuæ corporalis in oue, vel in verme, assumpta fuit materia ipsius vestis spiritualis, quæ est amor, ab ipso corde Christi extracta fuit, tanquam † scallata tincta in grana sui sanguinis pretiosi. Secunda causa admirationis est; quòd sponsa scit hanc vestem summè placere sponso suo. Vnde, vestem inconsutilem, quæ figura erat huius vestis noluit diuidi, Ioan. 19. licet corpus suum perforari permiserit. In hoc ostendens, quòd plus amauit tunicam, id est, charitatem significatam per tunicam, quam corpus suum. Vnde dicit Augustinus: Tunicam hominis iam iudicati, in cruce pendentis carnifices Pilati non sunt ausi conscindere, & tu vis Charitatem Dei, imò Charitatem, quæ Deus est, separare? Hoc dicit contra seminatores discordiarum, suscitatores litium, quæ Christum Deum diuidere dicuntur, dum Charitatem fraternam diuidunt.

3. Tertia causa est, quòd istam vestem ostensura est sponsa Christi in illa magna curia. vbi tot principes erunt congregati, & nescit qua hora vocanda sit in morte: ideo semper debet esse parata. Imò tunc volent vestem ordiri, quando debent succidi in morte. Ideo dicit Ezechias, Isaïæ 38. Dum adhuc ordiret, succidia me. Noli ergo tardare: texere vestem istam, ne subito succidaris. Fac iuxta consilium Sapientis mulieris, de qua dicitur Prouerb. vii. Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Per lanam

in

† Purpura.

2.

Charitatem summè placet Deo.

Augustinus.

3.

intelliguntur beneficia, quæ ab Humanitate Christi accepimus. Penultimum, beneficia, quæ ab ipsius Diuinitate nobis sunt exhibita. Quid est ergo, lanam, & linum querere, nisi beneficia nobis tam ab Humanitate Christi, quam Diuinitate largita, in corde, & ore frequentius reuoluere? ut sic vestem Charitatis texere valeas in corde tuo; quia ex frequenti recogitatione beneficiorum Dei; cor ipsius amore accenditur. Quarta causa est, quod si hæc vestis tibi defuerit, turpitudine tua manifestabitur toti mundo. Ideo dicitur Proverb. 10. Vniuersa delicta operit Charitas. Et Ioannes Apocalypsis. 16. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulat, & videat turpitudinem eius. O quam verendum erit, sic nudum coram tanta multitudine apparere! Quinta causa est, quod bene scit anima, quod non licet alicui intrare regnum cælorum sine hac veste: iuxta illud, quod legitur Esther. 4. quod non licebat hominem indutum sacco aulam Regis Assueri intrare. Hæc vestis, Nuptialis non immerito appellatur; quia matrimonium, quo filius Dei vnitus est humanæ naturæ, sorori nostræ, requirit ut vestem Charitatis habeamus. Si enim matrimonia carnalia de inimicis efficiunt amicos, quomodo hoc excellens matrimonium homines ad amorem non accendat? Attende etiam, quod solent fieri vestes nuptiales propter nuptias: & filius Dei nuptias fecit cum humana natura, carnem assumendo

4.

Charitas operit multitudinem peccatorum.

5.

S 2 propter

propter vestem, id est, Charitatem in hominibus augendam. Hæc est vestis rubea, siue purpurea, de qua in laude bonæ mulieris dicitur Proverbi. vlt. Byssus, & Purpura indumentum eius. Hæc est vestis odorifera, cuius odor benedictionem patris cælestis impetrat, quod in benedictione, quam Isaac dedit filio suo Iacob, Genesis. 27. nobis ostenditur, ubi legitur: statim vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.

### De ornamentis Spiritualium nuptiarum,

#### videlicet, de ornamento Brachiorum

Octauū  
ornamē-  
tum.

De ar-  
milla for-  
titudi-  
nis.

**S**equitur. Dedi armillam in manibus tuis. Per armillam, quæ est ornamentum brachiorum, strenuitas, siue fortitudo operum designatur. Armillam docet habere in manibus Salomon dicens Ecclesiastici. 7. Datum brachiorum, & sacrificium sanctificationis offeres Domino. Datum brachiorum vocat omne opus laboriosum, quod brachijs exercetur. Sacrificium sanctificationis appellat omne spirituale exercitium, vt in lectione, & contemplatione. Ad hæc duo, scilicet datum brachiorum, & sacrificium sanctificationis ordo tuus te inuitat. Nam datum brachiorum offeres Domino in tempore laboris, sacrificium autem sanctificationis offeres Domino in tempo-

re

re orationis, &lectionis: Hinc est, quod in  
 persona religiosorum dicitur. Psal. 59. *Labor,*  
 & *partibor Sichimam.* Sichima labor interpre-  
 tatur. Laborem suum patitur ille, qui modò  
 in operibus contemplatiue laborat. Tali modo  
 Regula tua labores tuos dispenfer: vt modò in  
 vno, modò in alio te oporteat laborare: vt ipsa  
 laboris varietas, siue vicissitudines, dispensata  
 fastidium tollat. Ad hæc duo inuitat te Domi-  
 nus, Cantic. 8. *Pone me, vt signaculum super cor*  
*tuum. Deum tuum ponis super cor tuum. per af-*  
*fectum deuotionis: ponis eum vt signaculum su-*  
*per brachium tuum per exercitium laboris.* Vnde  
 per affectum deuotionis habes sigillum salu-  
 tis tue in corde tuo impressum. Per laborem  
 manuum habes quasi contra sigillum, sicut cum  
 sigillis magnatorum solent à tergo contra sigilla  
 apponi. Contra sigillo carent, qui labores ordi-  
 nis effugiunt, & declinant, sicut quidam conuer-  
 si, qui dum manerent in seculo pro victu suo ac-  
 quirendo fortiter poterant laborare: postea quã  
 autem conuersi vel tonsi sunt, & capam Benedi-  
 ctionis perum in dorso, scientes panem suum co-  
 mitem, brachia fracta habent. Tales assimilantur  
 Samsoni, qui posteaquam fuit tonsus ab vxore, re-  
 cessit ab eo fortitudo eius. Tales etiam assim-  
 lantur David, qui cum puer adhuc esset, & ar-  
 mibus Saulis fuisset indutus, non potuit incedere ad  
 eorum pondere prægauatus: 1. Reg. 17. In tali-  
 bus capæ Ordinis ita ponderosa effecta est, quod

Actiua  
 vita, con-  
 templa-  
 tiue mi-  
 scenda.

Inuitat  
 ad labo-  
 rem.

po-

posteaquam eam sunt induti, non possunt se inuare. Attende, quòd armilla ornementum brachiorum est. Ecce, quòd stultis vile videtur ornementum, scilicet labor cordis. Vnde, cum tempore laboris pulsatur ad panem faciendum; siue, quod vilius videtur, inuitaris ad calceos vincendum, vel scriberis ad faciendum septimanam tuam de coquina cibi: tibi ab Ordine ornementum brachiorum confertur. Hinc est, quòd Eliezer Rebecca armillas de auro dedisse legitur, Genesis. 24. appendentes decem siclos auri. Per Eliezer Christus, per Rebecca Anima religiosa significatur, cui confert armillas, quando eam strenuitate bene operandi ornat. Et dicuntur pondo decem siclorum auri, propter decem praecepta legis divinae, ad quae refertur omnis humana operatio, tam interior, quam exterior ad Deum ordinans, & proximum, ut scribitur Exodi. 20. & Ezechiel. 16.

### *De Torque temperatae locutionis.*

Nonum  
ornamē-  
tum.

**S** Equitur: Dedi torquem collo tuo: Attende, quòd collo formantur sermones. Per torquē ergo, quod est ornementum colli, ad pectus dependens significatur discreta, & temperata locutio, quod maximè claustralibus conuenit, quibus in tempore silentij, satis de spatio conceditur ad praemeditandum quae loqui debeant tempore suo: & sic eorum verba prius venire debent ad

ad limam, quam ad linguam. Nam sicut dicitur Prouerb. 13. Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Sunt enim qui abundant verbis, quantum abundat aqua ad molendinum. Et sicut contingit in molendino, quod aliquando submittitur exclusa, quæ retinet fluxum aquæ, qua remota fortius, & rapidius currit, sic in multis claustralibus amota exclusa silentij, quæ aquâ verborum retinuerat: tanto maiori impetu loquuntur, quanto ante diutius siluerunt. Et sic, iniuriam silentij impetuosa, & morosa fabulatione recompensant. Ideo dicitur, Prouerb. 17. Qui dimittit aquam caput est iurgiorum. Aquam dimittit, qui se à fluxu verborum inutilium non restringit. Et talis est caput iurgiorum, id est, origo discordiæ, & contentionis. Ideo dicitur Ecclesiastici 25. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum. Ille, aquæ suæ exitum præbet, qui se à maliloquio non cohibet. Vel etiam, per aquam fluxa cogitatio iuxta aliam expositionem figuratur. Quid est ergo aquam dimittere, nisi de cogitatione statim ad verba prorumpere: quod est consuetudo fatuorum iuxta illud, quod scriptum est Prouerb. 12. Fatuus statim indicat iram suam. Iram suam indicare, nihil aliud est, quam aquam dimittere. Et hoc quare? Quia vas cordis fatui ligaturam patientiæ, seu humilitatis, sine etiam mansuetudinis non habet; & ideo immundum est secundum legem, Numer. 19. Vbi dicitur; Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam

Multilo-  
quum fu-  
giendū.

ram desuper, immundum erit. Ex ista etiam verborum contumeliosorum dimissione sequitur cordis crepatio. Quemadmodum vas fictile aqua ab ipso per ignem ebullita, ab igne calefactum crepat, & frangitur; sic cor fatui cum igne iracundiæ accensum fuerit, ebullit de facili aquam iurgiorum. Os enim fatuorum ebullit stultitiam, ait Salomon Prouerb. 15. Et hanc ebullitionem stultitiæ sequitur cordis fragilis dammosa crepatio. Caue ergo cordi tuo, ne frangatur, sed iniurias tibi factas dissimula: Conuiitijs tibi illatis non responde, exemplo Saræ, quæ (vt legitur Tobia. 3.) audito ab ancilla sua, illato conuiitio, a quam conuiitiosæ responsionis non dimisit: sed silens, & dissimulans ad coenaculum superius ascendit, orans scilicet, vt eam Dominus ab huiusmodi improprio liberaret. Et sicut puer ab aliquo vulneratus, aut verberatus semper ad matrem recurrere consuevit; sic, coram Christo omnes iniuriarum tibi factarum querelas deponere. In fletu venient, (dicit Dominus per Ierem. 31.) & in misericordia reducam eos. Si ergo tibi conuiitium inferatur, vel sententiæ tuæ ab aliquo resistatur, noli verbis contendere; sed per mitte te vinci, vt vincas. Dicit enim Chrysostomus: Optimus victoriæ modus est in multis vinci. Attende: quod melius est vitium vincere, quàm vinci à vitio. Vincit, qui tacet, & sustinet. Personam aliquando vincere videtur, qui respondet: sed à vitio vincitur intra, licet extra victor appa-

appareat. Sint ergo pauci, & temperati sermone tui, vt fluxum cogitationum, & verborum retineas: vt in collo tuo ornamentum, torquem iugiter valeas deportare. Dicitur enim Ecclesiastici 6. Inijce pedem tuum in compedes Sapientiae. Et hoc fit per loci stabilitatem. Et post hoc ibi dicitur: Et collum tuum in torques illius. Tunc collum in torques Sapientiae ponitur, quando verba ad regulam ipsius Sapientiae reformantur.

*De in aure Obedientiae, & de proprietatibus aurium Obedientiae, & Intelligentiae.*

**S** Equitur: Dedi in aurem super os tuum, & circumspectos oculos auribus tuis. Per in aurem, quae est ornamentum aurium, significatur Obedientia; iuxta illud, quod scriptum est Prouerb. 25. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem. Et, Sicut inauris aurea fulgens margaritis ornat aurem, ita correctio Sapientis ornat auditorem obedientiae. Cum ergo aliquid tibi iniungitur, cum argueris, cum instrueris, in aures aureae auribus tuis appenduntur. Noli ergo reputare te sub praecepto tibi facto, seu à correctione humiliatam, seu abiectam, sed ornatam. Imò, Audi filia, per obedientiam, Psal. 44. & inclina aurem tuam, per humilitatem & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,

*Dedimus ornamentum aurium.*

*Correctio ornatus aurium.*

Duæ au-  
res ho-  
mini da-  
tæ.

tui, per carnalium, & terrenorum abiectionem. Et attende, quod duæ aures datæ sunt homini, ad designandum, quod Obedientia debet esse ad duo. Ad agendum, & sustinendum iuxta verbum Apostoli ad Hebræos ultimo: Obedite (inquit) præpositis vestris, & subiaccete eis. Quod dicit: Obedite, pertinet ad opera: quod autem dicit: Subiaccete, pertinet ad flagella. Sunt aliqui claustrales, qui satis obediētes reperiuntur ad opera, sed repugnant, & murmurant ad flagella; cum eis scilicet disciplina imponitur, comestio ad terram, seu aliqua abstinentia pro suo excessu iniungitur. Tales non habent nisi vnam aurem, quod est signum latronum. Sunt qui ambabus auribus carent, vt fratres ociosi, qui nihil agere volunt. Fratres asiati, qui nihil sustinere possunt. De talibus dicit Dominus per Ezechielem: 23. Loquens animæ peccatrici, dicens: Præcident, scilicet, Dæmones aures tuas. Item, sunt qui habent aures lenes, non pilosas, scilicet, ad designandum mansuetudinem, & lenitatem, quæ debet esse in obediēte, iuxta verbum Ecclesiastici 5. Esto, inquit, mansuetus ad audiendū verbum Dei. Aures pilosas, & asperas habent, qui pungendo, & remurmurando obediunt. Ihesus, auri semper est aperta, ita. Obedientia semper debet esse parata. Verus enim obediēns mandatum non procrastinat, dicit Augustinus. De promptitudine populi obediētis: dicit Dominus Psal. 17. In audita auris obediuit mihi; id est, Quam

Aures  
præcisas  
qui ha-  
bent.

Aures pi-  
losas.

Aures  
apertas.

Quam citò audiuit, obediuit. Item, debent esse aures purgatæ à superfluitatibus, quæ ad aures perueniunt. Sic, Obedientia illa purgata est, quæ nihil habet de suo. Aures Obedientiæ imundas habent, qui procurant, quòd eis iniungatur, quod volunt; non quod velit, qui eis iniungit. Et attende, quòd Natura dedit tibi vnicum os, & duas aures, vt sic edocearis, quòd minus debes loqui, quam audire. Ita, vt secundum verbum Iacobi. i. Sis velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et ideo ordo tuus loca multa, & tempora multū tibi dispensauit ad audiendum, pauca verò ad loquendum. Vnde, ad audiendum, & tacendum inuitat te Ecclesiasticus 32. dicens: Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Et verè tacenti gratia accedit. In silentio enim Zachariæ conceptus est Ioannes, qui interpretatur Gratia. Lucæ. i. Si vis ergo Gratiam in corde tuo concipere, audi, & tace. Item, attende, quòd Natura dedit tibi aures in anteriori parte apertas, & retro clausas, vt per hoc edocearis ab ipsa Natura, vt posterioribus, id est, vaniloquijs, & detractionibus aures habeas clausas, sermonibus verò ædificatorijs habeas apertas. Sunt autem quidam, qui nobilitatem canum ex parte aurium imitantur: habent enim aures pendentes contra naturam, & sic clausas à superiori, & ab inferiori apertas. Tali modo aures caninas, & pendentes habent, qui eas ad terrena, & temporalia aperiunt, & ad cæ-

Aures purgatas.

Silentium gratiam generat.

Detractiones non audiendæ.

Aures caninæ.

Ambrosius.

lestia claudunt: iuxta verbum Ambrosij dicentis, quod Nummus dulcius sonat in aure cupidi, quam verba diuina. Item, auris concaua est, in quo intelligentis, seu obedientis receptabilitas designatur: contra illos, quibus quicquid intrat per vnam aurem, exit per aliam: contra quos dicit Ecclesiasticus. 3. Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Et Sapiens cor, & intelligibile abstinebit se à peccatis. Item, attende quod Natura dedit paruas aures homini secundum quantitatem suam. Animalia enim minora, vt canis, porcus, & huiusmodi maiores habent aures; vt per hoc cognoscat homo, quod auditum suum debet restringere, & coarctare; non ad quæcunque verba dilatare. Sunt enim quidam, qui ad modum muli, vel asini aures patulas, & latas habent, ad omnia, quæ dicuntur aures, & cor applicantes. Tales pacem cordis habere non possunt, qui tot hospites tumultuosos in cordis hospitio recipiunt, quot verba vana, & mundana admittunt. Vnde pruritus aurium solet dici signum, & inditium hostium superuenturorum. Tales enim aures prurientes habent, qui rumoribus quibuscunq; auditum applicant, iuxta verbum Apostoli, 2. ad Timoth. 4. dicentis: Erit tempus, quando multi sanam doctrinam non sustinebunt, attende, quod Natura dedit homini aures solidas, & rigidas, ita quod eas mouere non potest, nisi moueat caput, sicut dicit Philosophus in lib. de nat. anim. asinus enim, & mulus, & alia ani-

Homini  
paruas  
aures de-  
dit Natu-  
ra.

Postu-  
lta verba  
inquieta-  
do.

Aures  
immobi-  
les.

animalia benè mouent aures capite immoto. In hoc instrumur à natura, quòd auditum nostrum non debemus præstare, nisi ubi caput, id est, ratio consenserit. Quando auditum tuum verbis præbes ociosis, & nociuis: rationi tuæ conscientia repugnantibus, tunc ad modum asini, & muli aures moues capite rationis immoto. Item, attende, quòd sunt quidam, qui habent aures serpentis, de quibus dicitur in Psal. 57. Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium. Obturat enim aures suâ terræ, ne audiat verba incantatoris. Sic multi, terrenis ita habent obturatas, & scientia seculari, quòd verba incantatoris, id est, prædicatoris recipere non possunt. Tales, ita Diabolo confecti videntur, quòd nihil, quod sit contra ipsum possunt audire, Item, sunt quidam, qui habent aures molendinarij, qui non potest audire nisi tumultum molendini, vt illi, qui laudem popularem venantur & in hominum tumultuationibus cum Herode delectantur. Ideo, ad hoc vt auditus eis restituatur, necesse habent à tumultu mundano cor suum separare. Ideo, in figura huiusmodi Dominus, surdum, quem curauit, extraxit extra turbam, & tunc posuit digitos in aures eius, & dixit: Ephpheta, quod est, Adaperire. Marci. 7. Tunc surdus extra turbam ducitur: quando ille, in cuius corde verba Dei resonant, à mundano tumultu separatur. Tunc digiti Domini in aures eius ponuntur, quando opera Christi, quæ

Aures  
aspidis.

Aures  
molendi  
narij.

Surdi fa-  
natio.

Inobedi-  
entes  
surdi  
sunt.

quæ per digitos significantur, eius auditui imprimuntur. Attende etiam, quod est auris surda, seu potius surdus aure. Surdus appellatur omnis inobediens. Sunt autem multi claustrales, qui surdi non sunt, sed tam durè audiunt, ut illi, qui licet prælatis obediant, tamen durè, & cum murmure, & inuitè. Sunt etiam quidam claustrales, qui volunt sibi fricari aures, sicut dicitur in vulgari, ut quædam moniales, quæ non possunt audire loqui de moribus; & ut spirituales videantur, de contemplationibus, & de raptu animæ in Deum sibi loqui volunt, de quibus dicit Ecclesiastes ultimo. Obsurdescent omnes filie carminis. Filie carminis dicuntur illæ, quæ de carminibus, id est, cantilenis cælestibus audire voluit. Et tales multoties obsurdescent, quia nec sentiunt, nec intelligunt quod dicitur, licet aliquando spasmos simulent, & singultus.

*De Corona Virginitatis.*

Vndecim  
num or  
namētū.

**S**equitur; Posui Coronam decoris in capite tuo. Per Coronam, Virginitas intelligitur. Nam Virginibus illa Corona decoris promittitur, quæ aureola consuevit appellari, & illa decoris Corona nihil aliud est, nisi quædam excellentia, siue dignitas, quæ in cælesti patria in Virginibus apparebit. Et potest dici quasi quoddam sertum de floribus super Coronam auream, quæ est

est præmium accidentale. De hac duplici Corona dicitur Isa. 28. In illa die erit Dominus exercituum Corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui. Attende, quod Corona sit de auro, & lapidibus pretiosis. Sertum sit de floribus, ut rosis, violis, & huiusmodi. Attende, quod magnum est habere ipsum Dominum pro Corona. Et Virgines non tantum habent Dominum pro Corona, quod erit commune omnibus glorificatis; sed habebunt Deum pro capello florido exultationis, in apparentia spiritualis excellentiæ, quæ in Virginibus in cælesti patria apparebit. In huius duplicis Coronæ figura legitur Exodi. 25. quod Dominus præcepit, ut fieret mēsa in tabernaculo, & super mensam Corona, & super illam, altera Corona aureola; qua figurata est aureola, quæ super Coronam gloriæ in Virginibus supponetur. Inde est, quod Angelus beatæ Cæcilie Virgini, & viro suo Valeriano apparuit Coronas aureas deferens in manu sua. Hæc Corona debetur victoribus. Quæ maior victoria, quam in Virginibus, quæ in carne viuentes, præter carnem viuunt, & in carne triumphāt, si cut dicit Hieronymus? Item, si corona debetur Regibus, & Reginis; quibus magis debetur Corona, quam sponsis Regis cælestis, quas efficit Virginitas? Unde accidit, quod quia Virgines tenent locum Ecclesiæ triumphantis, quæ sponsa sine macula, & ruga appellatur, non conseruatur mulier nisi virgo: tamen consecrari potest in Epi-

Virginitatis aureola.

Debetur Corona triumphatibus. Hieronymus.

Corona debetur Regibus Non consecratur mulier nisi sit Virgo.

Episcopum, qui Virgo non est. Si autem quæris, quæ sit ratio, quod in Virgine consecranda Virginitas requiratur, & non in viro in Episcopum consecrando: Responderi potest, quod sanctitas Virginis sanctitatem significat Ecclesiæ triumphantis in cælo: sanctitas Episcopi sanctitatem significat Ecclesiæ, militantis in terra. Vnde maior requiritur integritas in muliere consecranda propter figuram cælestium, quam in viro consecrando in Episcopum gerentem figuram terrestrium. Ideo propter defectum figuræ, siue Sacramenti mulier, quæ se ad consecrationem ingerit, quæ Virgo non est, peccat mortaliter. Ideo dicit Augustinus: Virgines, quæ corruptæ sunt semel, non audeant se sacris Virginibus adæquare.

Augustinus.

### *De ornamento aureo Obedientiæ.*

Duodecimū Ornamētū.

Obedientiā in auro reliquitur.

**S** Equitur: Ornavi te auro. Per ornamentum aureum, cælestium mandatorum Obedientiā designatur. Mandata enim diuina sunt velut aurum pretiosissimum, quo ornatur, qui circa diuina mandata afficitur. Vnde dicit Ecclesiasticus 29. Pone cor tuum in mandatis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum. Attende, quod non monet, mandatum ponere in corde, sed cor ponere in mandato. Mandatum enim in corde ponitur per intelligentiam, & memoriam. Sed pro-

proprie cor ponitur in mādato per affectionem: dicimus enim cor ponere in re, circa quam afficimur, circa quam solliciti sumus. Si mandata nosti ponere in corde, discas cor tuum ponere in mandatis, quod maius est. De iusto enim dicitur Ecclesiastici. 45. quod, Dedit illi cor ad praecepta.

*De Ornamento argenteo Divini eloquij.*

**S** Equitur: Ornavi te argento. Quid per argentum, nisi eloquij divini dulcedo significatur? Nam, sicut argentum dulciter sonat, ita eloquia divina in aure intellectus bene dispositi dulcē faciunt melodiam, iuxta verbū Ecclesiastici. 40. dicentis: Tibia, & Psalteriū dulcem faciunt melodiam, & super vtraque lingua suavis. Lingua suavis est doctrina Evangelij. O quam lingua est suavis, quando dictum est Magdalene peccatrici, Lucæ. 7. Fides tua te salvam fecit, vade in pace! O quam lingua est suavis, quando dictum est mulieri deprehensæ in adulterio, Ioan. 8. Nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo: Vade, & iam amplius noli peccare! O quam suavis est lingua, quando dictum est latroni pendenti, Lucæ. 23. Hodie mecum eris in Paradiso! Argenteum ergo dulcissimum est doctrina Evangelij. Iste argento ornatur, qui doctrina, & prædicatione

Tertium  
decimū  
Ornamentum.

Sermo  
Domini  
dulcis.

Sermo  
Domini  
castus.

Hierony-  
mus.

Sermo  
Domini  
ignitus.

tione Euangelij afficitur, & vitam suam secundū  
eam regulat. Argentum habet, sed argento non  
ornatur, qui verba Dei nouit, & secundum ver-  
ba Dei non vivit. Talis condemnatur in iudicio,  
quia pecuniam Domini sui abscondit, sicut dicit  
Dominus in Euangelio Matthæi. 25. De hoc ar-  
gento dicit Psal. 11. Eloquia Domini, eloquia cas-  
ta, argentum igne examinatum. Casta dicit elo-  
quia Dei, quia castitatem docent. Sapientia  
enim (dicit Iacobus. 3.) quæ deforsum est, primū  
quidem pudica est. Item, casta appellantur, quia  
animam sibi per amorem inhærentem castam  
efficiunt. Vnde dicit Hieronymus: Ama scien-  
tiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.  
Item, idem dicit: Mentis legi scientiæ inhæren-  
tes, iniquitas non inquinat. Argentum appel-  
latur propter sui puritatem, propter sui sonori-  
tatem. Argentum dico igne sancti Spiritus exa-  
minatum, quia eloquia scripturæ à spiritu sancto  
ædita sunt, à spiritu sancto exposita sunt. Et  
quia spiritus Sanctus ignis est, eloquia Dei ignita  
sunt. Ignitum enim eloquium tuum vehemen-  
ter, ait Psal. 118. Væ ergo cordi, tanta frigiditate  
peccati confrieto, quod ignitum eloquium il-  
lud calefacere non potest. Sequitur in prædicta  
Psalmi auctoritate. Purgatum terræ, id est, à ter-  
ra. Septuplum, id est, perfectè. Purgatum à  
terra, quia terram docet despicere; sola coele-  
stia, & æterna desiderare facit. Item, purgatum  
à terra dicitur verbum Dei, quia cælum promit-  
tit.

tit. Item, purgatum à terra dicitur; quia tractatores, & doctores eloquiorum diuinorum ab amore terrenorum debent esse purgati: vnde dicit Gregorius: Ignominiosū valde est, sub eius status specie gloriam mundi, & diuitias querere, in quo debet alios ad contemptum temporalium prouocare. Et hæc dicta de ornamentis animæ sufficiant.

Sermo  
Domini  
purga-  
tus.

FINIS LIBRI PRIMI.

INCIPIT LIBER SECVNDVS

DE CVSTODIA CORDIS  
AD SIMILITVDINEM  
CASTRI CVSTODIENDI.



**P**OST tractatum de præparatione Cordis secundum diuersas facies, sub multiplici diuisione diffusum: restat vt ad tractandum de Cordis custodia, cor, & stylum conuertamus. Quia enim in corde sedes est animæ, secundum testimonium Augustini, & est cor, quasi vas omnium thesaurorum cælestium; & etiam quasi castrum in terra inimicorum situm in summo: perseuerandum nobis iubetur à Salomone Proverb. 4. dicente: Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Considera ergo, &

Cor vas  
thesauro-  
rum cæ-  
lestium.

V 2      atten-

Cordis  
custodes  
esse de-  
bemus.

attende cor tuum, quasi vas pretiosum, quod carius emittur, diligentius custoditur, in cuius fractura maius damnum incurritur, quod difficilius reparatur. Cuius fracturam mirabilem conquiritur Dominus per Ieremiam. 25. dicens: Cades quasi vasa pretiosa. Custodi ergo cor tuum, quasi vas pretiosum, Christi sanguine comparatum, à Christo, quantum in se est diligenter custoditum. Spiritualiter, quando illud in claustrali disciplina firmavit custodia, ne in damnum difficile reparabile cadat, & frangatur, & pretiosi liquores diuinæ gratiæ effundantur. Gratiæ autem fatuorum effundentur, dicit Ecclesiasticus. 20. Huius autem effusionis ponit rationem in sequentibus, dicens. 21. Cor fatui, quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Custodi ergo cor tuum, quasi vas pretiosum. Vas dico, aptum ad oēs thesauros cælestes capiendum; ut illud, iuxta monitionem Apostoli. 1. ad Thessal. 4. In sanctificatione possideas, & honore. Possideas, dicit, pones te. Nōne vides istos escarios, & camerarios nobilium cappas dominorum suorum cum tanta diligentia custodire, & eas cum equitant deferre? Quare ergo cor tuum, quod est cyfus in quo Christus verus Ioseph bibere; & augurari solet, tam miserabiliter sustines frangi? Erubescere, illis maiorem curam haberi de cappa, quam tibi de corde tuo. Attende, quod vas cordis quasi matuo concedis inimico, cum cor tuum delectari sustines in peccato: das verò cum peccato consentis.

Quid sit  
cor mu-  
tuare.

sentis. Transfertur in cordis dominium in assensu. Consuevit enim mendax aduersarius, quasi redditurus mutuo petere quod intendit auferre. Noli ergo vas cordis tui Diabolo cōcedere, nec credas ei de vase reddendo. Vas tuum reddere promittit, cum tibi teetperationem, & resumptionem cordis pollicetur. In sanctificatione autē vult Apostolus quod vas cordis possideas. Mundum enim debet esse vas, in quo tam preciosi liquores, gratiæ scilicet, & sapientiæ infunduntur. In honore etiam vas cordis tui te possidere monet Apostolus. i. ad Thessal. 4. Si enim vasa in quibus ponuntur reliquiæ, haberi consueverunt in honore, quanto magis cor tuum debes honorare, in quo tam preciosæ reliquiæ, corpus scilicet, & sanguis Domini tui quotiens ad altare accedis, reponuntur? Ideo, te monet Ecclesiasticus. 10. vt vas tuum in honore possideas, dicens: Fili in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum; id est, secundum convenientiam dignitatis suæ. Et sequitur ibi: Exhonorantem animam suam, quis honorificabit? id est, quis honore dignum reputabit illum, qui animam suam peccatorum immunditijs dehonorat? Noli ergo esse velut columba seducta non habens cor: Legitur Osee. 7. quin potius retine cor tuum in prosperis per teperantiam: Nam fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor, vt dicitur in eodem. 4. Per fornicationem & vinum omnis vitiorum carnalium intem-

Cor mūdandū.

Cor honorādū.

Cor reti-  
nendū.

intemperantia designatur. Retine ergo cor tuū in aduersis per patientiam. Nam, qui increpationibus acquiescit, possessor est cordis, vt dicit Salomon Prouerb. 15. Ideo dicit Dominus Lucæ. 21. In patientia uestra possidebitis animas uestras. Noli ergo à tanta possessione per impatientiam spoliari. Hæc est possessio, qua retenta nihil perdere potes, qua perdita nihil retinere. Vnde Seneca refert de quodam, qui cum capta patria, vxore, & liberis ex incendio solus remansisset, interrogatus, si aliquid perdidisset, respondit: Nihil perdidit; Bona enim mea mecum sunt. Ecce, se nihil perdidisse dicit, qui in tanto discrimine, cordis spoliū retinuerat. Propter hoc dicit Seneca, quod Sapiens omnia bona sua intra se ipsum reposuit. Custodi ergo te ipsum, & animam tuam sollicitè. Dicit Moyses in lege Deut. 4. Custodite igitur sollicitè animas uestras.

Seneca.

*De custodia Cordis ad similitudinem  
castrī obsessi.*

**C**onsidera igitur iuxta aliam faciem, cor tuū, & attende illud esse quasi castrum nobile, in terra inimicorum ex omni parte obsessum: propter q̄ omni custodia seruandum. Ideo exclamat Dñs Baruch. 3. dicens: Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? Israelem appellat omnem animam ad Dei cognitionem erectam.

Cu-

Custodi ergo castrum tuum in tam periculoso in tam extraneo loco firmatum. Bonum enim castrum custodit, qui cor suum custodit, dicit Sapiens. Ante illud castrum tenet sedem suam Diabolus cum toto exercitu suo, tam carne, quam mundo. Ipse enim est leo, qui circuit quærens quem deuoret, ut dicitur, 1. Petri. 5. Super quem locum dicit Glossa: Circuit Diabolus tanquam hostis, clausos obsidens, muros explorat, an sit aliqua pars murorum minus stabilis, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illicitas, & faciles voluptates, ut visu destruat castitatem; aures per canora tentat, ut moliat Christianum vigorem. Linguam conuicio prouocat; manus iniurijs lacerantibus ad eandem instigat: honores terrenos promittit, ut cælestes adimat; & cum latenter non potest fallere, apertos addit terrores. In pace subdolanus, in persecutione violentus, contra quem tantum debet esse animus paratus ad resistendum, quantum ille paratus ad impugnandum. Vide ergo, & considera qualem aduersarium habes, & custodi castrum cordis tui à tali & tanto inimico obsessum. Attende, Obsessi in castris quam sobriè viuunt, quam parum dormiunt, quam raro, & cum quanto timore, cum quanta cautela castra exeunt, quam celerrimè reuertuntur, quam diligenter, quam frequenter castrorum officinas gyrant, cum quanto strepitu, & strenuitate se inuicem excitant, licet quandoque dolentes, & timen-

Cor ob-  
fidetur à  
Diabolo

Gloss.  
ord.

Conuer-  
satio ob-  
fessorum  
attendenda.

mentes circumeant cantando super muros, vñ aduersarios deterreant. Sic tu, (charissima) si castrum cordis tui defendere, & custodire cupis, sobria esto: (Non enim decet obsessum sibi quærere delicias contra aduersarium suum, qui circuit circa muros, quærens quem deuoret.) vigila, somno negligentia, & torporis excusso. Raro, & cum cautela ad exteriora negotia te ingeras, ad tua intima reuertaris: cordis tui officinas, tam intellectus, quam affectus per diligentem examinationem visitare studeas. Temetipsam, & eas, quæ tecum sunt in labore, in claustro, in cantu, in choro, cum quadam hilaritate studeas excitare; & ipso cantu tuo obsidentes Dæmonea deterre: vt cogantur dicere illud verbum Primi Reg. 4. Audito in castris Domini cantu, & iubilo dixerunt Philisthiim: Væ nobis, quia non fuit ista exultatio in castris Israel heri, & nudius tertius. Attende, quòd cum obsessi tam longa obsidione fatigati fuerint, & lassati, consueuerunt mittere ad dominos suos pro succursu. Sic tu mitte ad dominum tuum nuntios, vt à te tentationum obsidio amoneatur, vel saltem debilitetur. Qui sunt isti nuncij, nisi orationes, quæ velut quidam cursores à Domino tuo, à quo tenes castrum cordis tui, & ab amicis consanguineis, id est, sanctis, succursum petunt? Quid est ergo, quod vides te obsessam, & succursum non petis? Quod est dicere: Vides te tentatam, & orationibus non insistis? Huiusmodi autem obsidionis figura in lib. 1. Reg.

Nuncij  
sunt ora-  
tiones.

in Reg. insignanter exprimitur, ubi legitur quod Naas Ammonites obsedit civitatem, quæ vocabatur Iabes. Cumque petissent obsessi ab eo fœdus, respondit: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut etiam omnium vestrum oculos dextros. Et acceperunt indutias donec misissent nuntios pro succursu: & cum venissent nuntij, & nuntiasent angustias illorum, qui miserunt illos, fleuit omnis populus. Et Rex Saul in eorum auxilium se venturum promisit; & ingressus castra, in vigilia matutina percussit illos, qui sedem tenebant plaga magna: reliqui autem dispersi sunt, ut non relinquerentur ex eis duo pariter. Attende quanta instructio, quanta consolatio in ijs verbis continetur. Obsidio Naas, qui serpens interpretatur contra Iabes, significat obsidionem, quã serpens antiquus Diabolus facit contra animam, eam varijs impugnationibus impugnando. Quod autem illi, qui obsessi erant, petunt pacem cum Naas, significat quod aliquando cogitationes, & affectiones cordis, molestia tentationum fatigatæ, & lassatæ tanquam diffidentes quod possent resistere, quasi pacem volunt facere cum Diabolo, & se ei per consensum peccati reddere. In quorum persona dicitur, Isaia. 28. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. O, quam damnosa, quam periculosa pax cum tali aduersario, qui oculum dextrum vult eruere, id est, qui diuinum amorem, seu cognitionem spiritualium conatur auferre. Resiste ergo,

Figura  
contra  
tentatio  
nes.

go, noli pacem facere cum eo, ne a te dexter  
 tuus oculus auferatur. Quod obsessi pati remu-  
 niantes pro succursu nuntios miserunt: significat,  
 quod anima damnatum peccati aduertens, cor ro-  
 sumit contra Diabolum, & orationibus, & suspi-  
 rijs succursum petit à Domino, tanquam ab illo  
 à quo ligament tenet castrum cordis sui. Quod  
 populus auditis verbis nuntiorum fleuisse legi-  
 tar, significat compassionem sanctorum, quam  
 ipsi habent de nobis, maxime de tentatis succur-  
 sum petentibus, & expectantibus: quia, licet (si-  
 cut dicit Bernardus) sancti sint impassibiles, non  
 tamen omnino incompassibiles. Quod autem  
 Saul eos liberauit, significat liberationem tenta-  
 tionum, meritis & intercessionibus sanctorum,  
 quam & orationis virtute à Christo expectant,  
 ita ut possint dicere illud Psal. 17. Quoniam in te,  
 id est, per te eripiar à tentatione, & in Deo meo  
 transgrediar murum. Murum appellat duriens,  
 & congeriem peccatorum. Quid est, quod ibi-  
 dem subditur: Quod reliqui dispersi sunt, qui sci-  
 licet non fuerunt interfecti à Saule; nisi, quamuis  
 Dominus suos à tentationibus eripiat, tamen ali-  
 quas tentationum reliquias relinquit in anima,  
 ut habeat cum quo exerceatur, ne omnino cor-  
 pescat. Tentatio enim (ut dicit Gregorius) non  
 est vorago victorum, sed exercitatio virtutum.  
 Unde, ita conseruat Dominus suos, quod tamen  
 oportet aliquid sustinere, ut anima in humilitate  
 te conseruetur, & omnino assicretur. Gratia enim  
 enim

Bernar-  
 dus.

Gregor.

Augusti-  
nus.

desiderantasti est, omnino non tentari, ut dicit  
 Augustinus. Collige ergo omnia notabilia in  
 verbo historico precedenti. Si cor obsessum ha-  
 bes noli reddere castrum, nec facias cum inimico  
 pacem, ne dextrum oculum, id est, cognitionem  
 Dei, & spiritualium amicos. Sed misce nuncios  
 orationum pro succursu, ut per sanctorum com-  
 passionem succursum celerissimum à Domino  
 Christo tuo valeas reportare; quia tibi aliquas  
 inimicas tentationes reliquit, ut in humilitate  
 conserueris, & timore. Attende, quod non po-  
 test diu teneri castrum, ubi non sunt homi-  
 nes defensores; ita cor diu non potest se tene-  
 re contra Diabolum, ubi non sunt quæ defenserent  
 cogitationes, id est, fornes, & viriles. Sicut ergo  
 in castris cum obsidentur, extramittuntur mulie-  
 res, & paruuli, sic facias de corde tuo, ut cogita-  
 tiones & affectus molles, & pueriles extramit-  
 tas, & tantum defensantes retineas. Quasi mu-  
 lieres sunt cogitationes, quæ circa voluptates, &  
 circa ista carnalia versantur, & tales non defen-  
 dunt castrum cordis, sed potius produnt, & ho-  
 stes iatromittunt. Vnde Dominus quasi con-  
 querendo per Nahum, 3. dicit: Ecce populus  
 tuus, mulieres in medio tui. Populus in medio  
 hominis sunt cogitationes, & affectiones in cor-  
 de, quod est quasi sedes in medio hominis. Hic  
 populus quasi mulieres esse dicitur, dum circa  
 mollia, & carnalia versantur. Paruuli in castro  
 cordis, sunt affectiones terrenorum. Qui enim

Cogita-  
tiones  
quasi  
mulieres

sola diligit temporalia, & terrena ista amplectitur,  
 parvulus est. Nam omnia talia parva res  
 sunt, & ideo à parvulis diligi solent. Non conve-  
 nit hominibus magni cordis, parva diligere. Ideo  
 dicit Apostolus, 1. ad Corinth. 13. Cum essem par-  
 vulus, sapiebam, & ut. parvulus: quando autem  
 factus sum vir, evacuavi quæ erant parvula.  
 Evacuâles ergo quæ sunt parvuli, ista terrena par-  
 ticipando: quia affectus circa huiusmodi non  
 sunt stabilia, nec apta ad defensionem castri cor-  
 dis tui. Magna cõgita, magna dilige, si vis magna  
 possidere; ne tibi improperetur illud Prouerb. 1.  
 Vsq; quò parvuli diligitis infantiam? Infanti-  
 am appellat quicquid terrenum, quicquid tempora-  
 le est; circa quæ corda infantilia occupantur.  
 Emitte ergo à castro cordis tui mulieres, & par-  
 vulos huiusmodi, si vis obtemperare Salomoni  
 dicenti tibi Prouerb. 4. Omni custodia, id est, per-  
 fecta custodia serva cor tuum. Et sicut longa su-  
 perius disserimus quomodo modum preparandi  
 cor per timorem; ita custoditur per sollicitudinem,  
 seu discretionem: quia (vt dicit Salomon) Pro-  
 verb. 24. Cum dispositione initur bellum, id est,  
 eum discretionem resistitur inimicis; tam corpori-  
 libus, quam spiritualibus. Dicit enim idem Salo-  
 mon Ecclesiastæ 9. Melior est Sapientia, quam  
 arma bellica. Et Tullius lib. 1. de Officijs dicit.  
 Parua sũt arma foris, nisi sit consilium domi. In-  
 cautus enim pugnatores in bello spiritali succum-  
 bunt. Scripsit enim Baruch. 3. Quoniam

Victoria  
 contra  
 parvulos

non

non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

*Stultitiæ imprudentium in bello spirituali.*

**M**ultæ sunt stultitiæ, quibus imprudentes in bello spirituali succumbunt, quarum decem enumerare decreuimus. Prima stultitia est eorum, qui ante pugnam se armare nolunt, sed tunc primo arma accipiunt, cum dolorem vulnerum sentiunt: Tunc etiam patientiæ vel humilitatis scutum accipiunt, cum gladio linguæ nequam fuerint vulnerati. Tales equo amisso, tum primo stabulum claudere deliberant. Ideo dicit Ecclesiasticus. 2. Prepara animam tuam ad tentationem. Preparatio ista est cogitatio de modo resistendi tentationi, quod faciendum est ante quâ impugnet tentatio. Semper enim deberent incedere armati, qui versantur inter hostes. Sic tu, cum inter hostes tuos maneas, & proclametur ad arma, semper debes cum armis incedere: ut dicenti tibi conuictum, statim obypem patientiæ & humilitatis opponas, voluptati disciplinam, vanitati paupertatis amorem obicias, ut non feriaris ad nudum. Clamat ad arma Marefcallus Domini Paulus ad Ephesios, 6. dicens: Accipite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. Et Dominus per Iob, 40. Memento belli,

Prima stultitia eorum, qui se armare non lunt.

Preparatio ad tentationem qualis esse debet.

Pugna  
mulierū  
ex lin-  
gua fit.

& ne ultra addas loqui. Quia pugiles Domini multa sustinent, & pauca loquuntur. Alioquin pugnant sicut mulieres, quæ multum possunt loqui, & pauca facere, vel sufferre. Pugna enim mulierum contentio est, quæ fortes sunt in lingua, infirmæ in manibus, sicut dicit Chrysostomus. Ita, qui multa docent, & pauca operantur, pugnant exerceant mulierum. Contra quos dicitur, Ecclesiastici 4. Noli citatus esse in lingua tua: & inutilis, & remissus in operibus tuis. Contra quæ duo dicit, Dominus quasi puginator in pugna passionis locutus est, pauca, & multa, & gratia toleravit.

### Secunda stultitia.

Secunda  
stultitia.

Indiscre-  
tio peri-  
culosa.

**S**ECUNDA stultitia est eorum, qui sumunt arma nimis ponderosa, & quandoque eorum pondere deijciuntur. Sicut animæ novitæ, quæ à principio antequam paulatim se assuenerint ieiuniorum, & vigiliarum ponderibus, plus debito se grauant, in tantum, vt post amissionem virium, eis onerosa, imò odiosa poenitentia reddatur. Quod significatum est in David, qui arma Saulis proiecit, quia nimis erant ponderosa, nec sic armatus poterat incedere: vt dicitur. 1. Regum 17.

Tertis

*Tertia stultitia.*

**T**ertia stultitia est eorum, qui in ipso conflictu arma sua projiciunt, quando ea fortius tenere deberent, sicut illi, contra quos cum insurgit alterius elatio, statim humilitatem projiciunt, cum insurgit aduersitas statim patientiam abiciunt: Cum insurgit carnis tentatio, statim vigorem mentis amittunt. Hoc est, arma in bello projicere. Vnde dictum est in Boetio primo de Consolatione Philosophiæ. Talia tibi contuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Arma verò appellantur exempla sanctorum. De Ecclesia enim dicitur, Cantic. 4. Quod mille clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium. Quia verò campus locus est belli, & conflictus, ubi aliquando sagittæ afflictionum emittantur penetrantes usque ad viuum, sibi etiam multos ictus correctionum, & præceptorum habes o claustralis sustinere tibi in ingressu capituli, hæc arma fortium, id est, sanctorum exempla exponuntur. Dum lectio Martyrologij legitur tibi, in quam sanctorum sanctorum tormenta recitantur, ut his armis cor tuum in loco tam necessario munias sanctorum exemplis, per meditationem, & affectum ipsum cor studiosissime reformando. Dum enim ibi audis quosdam bestiarum dentibus dilaceratos, alios igne crematos, quosdam in couleo extensos sub diuersis

Tertia  
stultitia.

Exem-  
pla san-  
ctorum ar-  
ma sunt  
deuoto-  
rum.

Gregor.

sis Imperatoribus, & huiusmodi; minima videbuntur tibi quæcunque præcepta, accusationes, seu correctiones capituli, quæ tibi fortè aliàs grauiã viderentur. Ideo dicit Gregorius. Facta præcedentium recolamus, & grauiã non erunt, quæ toleramus. Noli ergo, tam vtilem lectionem aure surda præterire, vnde tam necessaria arma proferuntur; ne habeas in conflictu capituli tui cor inerme.

### Quarta stultitia.

Quarta  
stultitia.

**Q**uarta stultitia est eorum, qui nolunt resistere hostibus, vbi facilius resistere possunt. Sæpe enim ad portas castri resistendum est, aut alibi in loco alto, & stricto, vbi pauci possunt se defendere contra multos. Stultè pugnat, qui inimicos suos angusta loca terræ suæ pertransire permittit: & tunc primò se vult defendere, quando totum castrum, vel totam terram hostis exercitus occupauit. Simili modo ad portas sensuum hostibus spiritualibus est resistendum, vt Visum, Auditum, Gustum, Tactum, & Odoratum diligenter custodias; secundum quod in præcedenti tractatu de præparatione cordis, in capitulo de custodia sensuum explanauimus. In alto enim vitæ eminentis cor tuum ponas, quod multis occupationibus arctum, seu strictum facias: vt hosti tuo via non pateat, & ibi te defendo, ibi resiste.

Aduer-

Adverte, ociositatem planitiem esse terræ, unde in ocium sine difficultate, & quasi ad planum irruit Diabolus. Quantum de ocio tollis, tantum Diabolo apud te tollis de loco; & eidem aditum strictum facis, & sic facilius eidem resistere potes. In cuius rei signum legitur Iudith. 4. Quod Eliachim præcepit obstrui aditum montium, per quem poterat esse via in Ierusalem. Quid est, viam in Ierusalem obstruere, nisi se ipsum honestis occupationibus arctare, ut via Diabolo ad cor obstruatur? Et hoc est præceptum Eliachim, id est, Christi. Attende, quod apud ociosum inuenit locum Diabolus, quia res perfectè occupata non est capax alterius. Vnde dicit Hieronymus: Semper operis aliquid facito, ut semper Diabolus inueniat te occupatum. Attende, quod in insultibus ante castrum, ille, qui se non mouet, consuevit frequentius sagittari. Illi verò, qui se volunt à sagittis cauere cum quadam agilitate se mouent, & saliant modò ad dexteram, modò ad finistram impingendo ne eos sagitta ad certum locum emissa in certo loco inueniat. Eodem modo ociosi, & vagantes sagittas Diaboli impugnant habent, quas agiles & strenui ex sua agilitate declinant.

Hieronymus.

*Quinta Stultitia.*

**Q**uinta stultitia est illorum, qui nolunt hostem interficere dum paruulus est, sed dimittunt illum

Quinta stultitia.

Caput  
Serpētis  
homo  
conterit  
cum pri  
mū ten  
tationis  
motum  
suppri  
mit.  
Quidiū  
d reme  
dio amo  
ris.

illum crescere, & informari. Sic, qui a principi tentationi non resistunt. Sed postquam vires per longam delectationem, vel consensum accepit, tunc primò pugnare volunt. Tales volunt hostem interficere, quando sunt iam interfecti. Interfice ergo hostem tuum, dum parvulus est: principijs tentationum resistendo: & non permittas, quòd talis grandescat in ore tuo per morosam delectationem, & consensum. Quia, sicut ait Ovidius: Serò medicina paratur, Cum mala per longas inualuere moras. Hoc est, quòd per Psalmistam dicitur: Beatus qui tenebit, & alidet parvulos suos ad petram. Psal. 136. Per petram, Christus intelligitur; per parvulos, primi motus ad peccatum. Quid est ergo parvulos ad petram alidere, nisi principia tentationū, exemplo, & fide Christi superare? De hoc dicit Hieronymus: Lubricus est antiquus serpens, & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Custodite igitur sollicitè animas vestras.

### *Sexta Stultitia.*

Sexta  
Stultitia.

**S**exta Stultitia est illorum, qui contra suos pugnant, & hostes suos non cognoscentes, eos amicos reputant. Peiores inimici, quos habes, sunt sensus proprii, & propria voluntas. Contradictiones, quæ sensum proprium impugnant; & persecutiones, quæ impugnant propriam voluntatem

tatem sunt adiutoria, & succursus à Deo nobis commissa contra hostes nostros pessimos. Si ergo proprium sensum contra contradictiones, propriam voluntatem, & persecutiones vis defendere pro inimicis, contra amicos, & adiutores tuos pugnare. Et contra, fauores, & applausus secularium, hostes nostri sunt, qui nos decipiunt. Sed vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc: Psal. 91. Iuxta quod dicitur Proverb. 14. Vade contra virum stultum, & nescit labia prudentiæ. Quasi diceret: Stultus non cognoscet aduersarium suum.

Inimici  
hominis  
domestici  
eius,

*Septima Stultitia.*

**S**eptima stultitia est eorum, qui de propè volunt pugnare cum hoste, qui ex propinquitate vires assumit, & ex elongatione perdit: ut est fornicatio, & cætera vitia ad carnis voluptatem pertinentia. Vnde dicit Apostolus. 1. ad Corinth. Fugite fornicationem. Vbi dicit Glossa: Cum alijs viris potest expectari conflictus; fornicationem autem fugite, ne approximatis. Quantumcunque enim fugit quis ab aduersis, tanto minus sentit aduersa, ut ait Augustinus, & minus voluptatibus stimulat, qui non est in frequentia voluptatum. Si vis ergo voluptatem vincere, fuge: quia ferreas mentes libido domat. Quæ etiam in Virginibus maiorem famam parere solet, & dulcius æstimant, quod ignorant.

Septima  
stultitia.

Fugite  
carnis  
tentatio  
non expectanda

Augustinus.

## Octava stultitia.

Octava  
stultitia.

Seneca.

Optim'  
pugnandi  
modus  
aduersa,  
non per  
timere  
re.

**O**ctava stultitia est eorum, qui hostem fugiendo euadere, & evitare volunt, quando fugientes magis insequitur, & persequitur. Tales hostes sunt aduersitates huius mundi, quæ peius faciunt fugientibus, & eas minus timentibus, quàm illis, qui eas parumpendunt, & eas viriliter sustinendo, resistunt. Ideo dicit Seneca: Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti, & aduerso. Attende autem, quod istam duplicem artem pugnandi contra voluptates, & delicias, scilicet fugiendo; & contra aduersitates, & molestias resistendo, docet nos scriptura lib. 2. Reg. 5. ubi David contra Philistæos bellum legitur commisisse. In primo enim bello ascendit directè eis obuiam ex aduerso. In secundo autem latenter gyrauit post tergum, in signum, quod debemus nos molestiis nos obijcere, & eas læto vultu, & strenuo tolerare: delicias autem, & voluptates cautè, & prudenter declinare. Obuiam ergo ex aduerso vadit Philistæis, quia aduersitates, & molestias huius mundi fortiter tolerat, & lætanter. Post tergum verò gyrat, qui nouissima gaudiolorum, & deliciarum mundanarum, quæ luctus occupat attendens, ea prudenter deuitat. Noli ergo molestias fugere; sed eis ad frontem occurrere. Noli delitijs ad frontem occurrere, sed fuge.

ge. Hæc est duplex acies, siue duplex scala belli; quam contra te profert mundus, molestiæ scilicet, & delitiæ: molestiis terret vt frangat; delitiis blanditur, vt decipiat. Occurre ergo molestiis, delitias fuge. Istam autem cautelam pugnandi in pugile tuo Christo reperies. Quasi enim obuiam Philistæis ascendit, quando suis crucifixoribus occurrit dicens, Ioannis 18. Quem quæritis? quasi latenter gyrauit post tergum, quando prosperitatem Regni fugit, cum eum in Regem eligere voluerant. Ioan. 6. vbi dicit: Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Gyrauit etiam post tergum, quando prosperitatem ciuitatis Ierusalem prospiciens, & extrema considerans, super eam flevit, dicens. Quia si cognouisses & tu. Lucæ. 19.

*Nona stultitia.*

**N**ONa stultitia est eorum, qui cum esset pugnandum contrariis, pugnant similibus, vt odio contra odium, lite contra litem, stultitia contra stultitiam; cum potius amore contra odium pugnandum esset, sicut aqua pugnat contra ignem. Ideo dicitur Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Mansuetudo contra litem, sicut illud Ecclesiastici. 8. Non litiges cum homine potente. Sapientia contra stultitiam, dicit enim Salomon

*Nona stultitia.*

Iomon Prouerb.26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam.

### Decima stultitia.

Decima  
stultitia.

Vindi-  
cta Deo  
est relin-  
quenda.

Epilo-  
gus.

**D**ecima stultitia est eorum, qui laborant in impugnatione hostium; cum honorabilius possent vincere quiescendo, quasi, *sans cap. ferir;* sicut illi, qui iniuriam patiuntur hominum sine percussione. Vincit enim qui patitur. Vnde Prouerb.20. Ne dicas: Reddam malum pro malo: Expecta Dominum, & liberabit te. Liberabit inquam à magno periculo, & labore maximo, quod habes, si vindictam quæris. O quantū enim laborant, qui omnes iniurias suas vindicare volunt. O quantam iniuriam Domino facit, qui super nos altam iustitiam habens, sibi vindictam de nostris aduersarijs retinuit, tanquam sibi propriam. Mea est ultio (ait Dominus,) & ego retribuam eis. Deuter. 32. Noli ergo Dominum tuum sua alta iustitia spoliare; iniurias tuas vindicando, cum tibi dicat Apostolus, ad Romanos. 12. Non vosmetipsos defendentes charissimi. Attende ergo istas stultitias pugnantium in bello spirituali; & ut sub breuitate percurram, arma tua ante ictum prepara, cōtra Primam stultitiā. Ponderosa plus debito arma ne assumes, contra Secundam. In ipso conflictu, arma ne proicias, contra Tertiam. Hostibus tuis in stricto, & alto loco

In loco resistas, contra Quartam. Hostem tuum dum parvulus est, interfice, contra Quintam. Contra inimicos tuos, & non contra amicos pugnes, contra Sextam. Hostem, qui de prope vires sibi assumit, fugias contra Septimam. Hostibus, qui fugientes magis insequuntur, resistas, contra Octavam. Contrariis contraria opponas, contra Nonam. Ad expugnandum eos, quos sine ictu potes expugnare, ne labores, contra Decimam. Ecce cum quanta dispositione, seu discretione oportet inire bellum, iuxta verbum Salomonis. Cum quanta sollicitudine oportet custodire cor tuum. Omni ergo custodia illud serva.

*De Custodia Linguae.*

**S**ed quia ad custodiam cordis maxime necessaria est custodia linguae, secundum illud Salomonis Proverb. 21. Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam: de custodia linguae pauca dicere duximus. Sicut enim qui vult custodire castrum aliquod, oportet quod habeat diligentiam circa custodiam portae. Vnde in castris solent fieri turres supra portam: ita ad custodiam cordis oportet apparere diligentiam circa oris custodiam. Et sicut ad portas castrorum ponuntur portarii, qui ingredientes admittunt, & emittunt; ita discretio circa portam oris tui semper debet assidere, & per eius

Discretio ianitor est.]

Augu-  
stinus.

eius iudicium, & licentiam egredientes debent exire, & ingredienti introire. Ingredientes in os sunt cibaria, quæ comedis. Egredientes ab ore sunt verba, quæ dicis. Augustinus. Eligis tibi cibos, quos comedis, & cur similiter non eligis verba, quæ dicis? Non recedat ergo ab ore tuo custodia, si vis seruare cor tuum; & dic Domino tuo: Pone Domine custodiam ori meo. Psal. 140. Verè ori tenenda est custodia, quia valde necessarium, & valde fructuosum est. Verè necessarium, nam qui ori tuo discretionis verborum examinatricis custodiam non apponit, est valida ciuitas absque muro, & validum vas absque operculo, validus equus sine freno, valida naui absque gubernaculo. Quòd sit ciuitas absque muro, patet per illud verbum Salomonis Prouerb. 25. Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Vbi dicit Glossa: Si murum silentij os non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis. Et cū se per verba extra semetipsam proijcit, apertam se aduersario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto & ipsa mens, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Et per hoc patet, quòd silentium est munitio ciuitatis animæ, & loquacitas destructio. Quòd linguam non custodiens sit sicut vas sine operculo, dicit Dominus Numer. 19. Vas, quod non habuerit operculum, immundum erit. Vas sine operculo sunt illi apud quos nullum secretum, nihil

nihil celare, nihil abscondere, vel retinere possunt. Quicquid audiunt, vel quicquid vident in publicum referunt. Cum scriptum sit, Prouerb. 25. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò: ne postea emendare non possis, cum dehoneftaueris amicum tuum. Item Ecclesiastici 19. Audisti verbum aduersus proximum tuum? Comoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. Sunt enim nonnulli, qui dum vident vel audiunt defectus fratrum, mox alijs deferunt, quasi dirumperent, aut crepare deberent, si celarent. Quòd homo linguam non custodiens sit velut equus sine fræno, aut vt naus sine gubernaculo, patet per illud Iacobi. 3. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus. Et ecce naues, cum magnæ sint, & à ventis validis minentur: circumferuntur tamen à modico gubernaculo. Ita lingua, modicum membrum est, & magna exaltat, idem ad magna præmia, vel tormenta. Ecce quantis periculis expositus est, qui linguam non custodit. Sicut equus sine fræno impingit se, vbi non vellet, & naus sine gubernaculo de facili mergitur; ita homo non gubernans linguam suã, ad ruinam, & subuersionem tendit. Verè ad ruinam, quia dicitur Prouerb. 26. Os lubricum operatur ruinas. Verè ad subuersionem eius, quia dicitur Ecclesiastici. 5. Lingua verò imprudentis subuersio est ipsius. Attende, quantum est vitium in equo, cum capite demittitur: Et tali equo for-

Z

tiores

tiores habentur, confueverunt adhiberi. Sic ori-  
 tuo curtas, & fortiores, habentur facias, ne succum  
 bas, ne etiam offendas aliquem verbis tuis, ne etiam  
 ipse offendaris in conscientia tua, nec etiam cæ-  
 spites, quod amplioris est perfectionis. Perfectus  
 est enim, qui non offendit in verbo, ut dicit Iaco-  
 bus. 3. Semper, (ut dicitur in vulgari) loquaris  
 sub frano, id est, cautè, timidè, & temperatè: alio-  
 quin vana est religio tua, sicut idem dicit. cap. 1.  
 Attende etiam linguam tuam instrumentum es  
 & solius rationis, quod ad usum loquelæ. Nam  
 usus loquelæ in habentibus tantummodo ratio-  
 nem naturaliter inuenitur: unde nullus ad hui-  
 usmodi instrumentum rationis manum debet  
 apponere, nisi sola ratio. Lingua nulla tenus mo-  
 ueri debet ad usum loquelæ, nisi ad solius impe-  
 rium rationis. Vide rationem, quam fructuo-  
 sum est, os suum, siue linguam custodire. Nullus  
 tam pauper si linguam suam vellet excolere dili-  
 genter, quin in tempore modico ditaretur. Di-  
 cit enim Salomon Prouerb. 12. De fructu oris  
 sui vnusquisque replebitur bonis. O quot fructus  
 colligent, qui linguam excolunt! Fructus oris  
 pratio, gratiarum actio, peccati confessio, erran-  
 tis correctio, ignorantis instructio. Ecce quin-  
 que fructus, qui possunt rectè quinque verba  
 appellari, quæ Apostolus tantummodo scire cu-  
 piebat. 1. ad Corinth. 14. dicens: Sed in Ecclesia  
 volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios  
 instruam, quam decem millia verborum in lin-  
 gua.

guā. Horum quinque fructus collēgit illē latro poenitens, qui iuxta Iesum pendens in Cruce socio ex altero latere pendentē dicebat, Lucæ. 23. Neque tu times Deum: Ecce correctio. Quodd in eadem damnatione es: Ecce instructio. Et nos quidem iustē, nam digna factis recipimus: Ecce sui ipsius accusatio. Hic verò nihil mali gessit: Ecce boni commendatio. Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum: Ecce oratio. Potes ergo concludere ex omnibus supradictis illud verbum Salomonis: Prouerb. 19. Mors, & vita in manu linguæ.

*De sermone, siue locutione, & quæ in illis inquirenda sunt. Quid loquendum.*

**V**llo de custodia linguæ, secundo quæ in sermone inquirenda sunt, inquiremus. Sunt autem quinque, quæ inquirenda sunt in sermone, siue locutione. Primum est, vt attendas quid dicas. Secundum, cui dicas. Tertium, vbi dicas. Quartum quando dicas. Quintum, qualiter dicas. Item modum loquendi. Quid sit dicendum determinat. Apostolus loquens ad Colossenses. 4. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, id est, sit semper gratus, & vtilis. Per condimentū salis notatur discretio, quæ vtilitatē pefas sermonis. Si non isti condire pulmenta, quare nō

novisti condire verba, vel condere? Attēde istud condimentum à tempore Baptismi recepisse, cū sal fuit impositum ori tuo. Sed sunt quædam linguæ, quæ sal benè capere non possunt, sicut dicitur in vulgari, & ideo de facili putrescunt, & ex hoc quasi quibusdā vermibus, verbis noxiis, inhonestis, & inutilibus eas scaturire, & ebullire contingit. Qui etiam ad modum porci vitiosi, tali super semine linguam habent superfeminatam. Hanc autem triplicem differentiam verborum malorum attendas, scilicet quid nocivum verbum, quid inhonestum, quid inutile sit. Respondeo: Nocivum verbum est, quod sua persuasione corda audientium ad errorem, aut pravitatem ducit. Inhonestum est, quod non convenit honestati illius, de quo loquitur: nam multos habere videmus inconuenientia, siue incongrua suæ honestati, siue illius cum quo, & de quo loquuntur. Vnde unusquisque secundum qualitatem personæ, cum qua loquitur, inquirat congruam materiam, de qua loquatur. Inutile est, quod nec audientibus, nec etiam loquentibus prodest: de quo dicit Dominus in Evangelio: Matthæi. 12. Quod de omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines reddent rationem in die iudicii. Quod sit verbum ociosum determinat Gregorius dicens: Verbum ociosum est, quod caret ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis. Item, idem: Qui scurrilitatem replicat, etiam cachinnis ora dissolvit, & aliquid

Gregor.

aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi sermonis, sed criminosi reus tenebitur. Nota tamen, quod verba recreationis non sunt dicenda otiosa, sed potius indifferentia, quia non iuvant, nec nocent animæ, nisi ea intentione dicantur, ut mediante corpore profint animæ. Ut quando fit ad tollendam accidiam, ad tristitiam scilicet repellendam. Tunc enim verba consolationis huius, non indifferentia, sed potius utilia, & meritoria debent merito censeri. Quod si quæras, cur Dominus non dicit, de opere ocioso, sicut dicit de verbo? Respondeo, quod verbum de ratione oritur, ut supra dictum est, & non omne opus. Et ideo iustum est, ut de omni illo, quod de ratione ortum habet rationem reddamus, & non de illo, quod non habet ortum à ratione. Item, omne verbum possumus comprimere, sed non omne opus. Ideo iustum est, ut potius reddamus rationem de verbo, quod est in potestate nostra comprimere, & deprimere, quam de omni opere. Collige ergo ex prædictis quid sit verbum nocivum, quid inhonestum, quid inutile, & attendes circa primum, verbum Gregorij, Qui ociosa verba non reprimat, citò ad noxia dilabitur. Amplius tamen caue ab inhonesto, quia, iuxta verbum Chrysostomi: Sicut ex sordibus, & luto, contrahitur immunditia, si projiciantur in aures carnis; sic verba scurrilia, & inhonesta si audiantur, immunditiam generant, si pervenerint ad auditum cordis. Et si immunditiam generant

Gregor.

nerant in audiente, tanquam in eo, qui gignitur: multo magis in proferente est immūditia, tanquā in eo, qui generat. Præcipuè autem caueas à no-  
civuo; & sic sit sermo tuus in gratia, sale discre-  
tionis conditus. Et ita habes primum, quod su-  
pra proposuimus, scilicet; Quid sit dicendum.

### *Cui loquendum.*

**S**ecundò attēdendum est, cui dicas, idest, cum  
quo loqui debeas. Considera ergo qualitatē  
personæ, cum qua habere debeas colloquium. Si  
stultus est, dicitur Ecclesiastici. 22. Cum stulto ne  
multum loquaris. Quare autem non est multum  
loquendum cum stulto, determinat alibi Salo-  
mon Prouerb. 29. dicens: Vir sapiens si cum stul-  
to contenderit, cum scilicet arguendo, vel ad bo-  
num. s. exhortando, siue irascatur, siue rideat, nō  
inueniet requiē. Vis ergo requiescere? cū sapiēte,  
& amico habetō colloquiū. Vt autē in regimine  
linguæ tuæ instruaris, qñ cū aliquo loqueris. Cō-  
sidera primò si pro te, aut pro illo loqueris. Si  
propter vtilitatem tuam loqueris, vide vtrū ille  
cū quo loqueris sit talis, de cuius colloquio vtili-  
tas tibi valeat prouenire. Si autē non propter te,  
sed propter illum loqueris, duo præuidenda sunt  
tibi; ne ille scilicet cum quo loqueris sit talis, qui  
vel exhortatione tua non indigeat, vel ita sit ob-  
stinatus in malo, & amore huius seculi sit imbu-  
tus, vt correctionem tuam non admittat; aliq-  
quin

quin, & sapientem velle docere præsumptio est; & obstinatum velle corrigere, stultitia. Stultum est ergo religiosus, maximè cum talibus habere colloquia morosa, à quibus ipsi vtilitatem doctrinæ, & exempli formam non reportet; nec etiam illi, cum quibus ipsi loquuntur. Instructione enim eo quod astuti sunt, correctionem eo quod obstinati sunt, minimè recipiunt.

*Vbi loquendum.*

**T**ertium quod in locutionis consideratione est attendendum, vbi loquendum est. Nosti enim quædam loca colloquio, quædam verò silentio deputanda esse.

*Quando loquendum.*

**Q**uartum verò, quando loquendum, considerare oportet. Dicitur enim Ecclesiastici. 20. Ex ore fatui reprobabitur parabola, nō enim dicit illam in tempore suo, Est enim (vt dicitur Ecclesiastæ. 3.) Tempus loquendi, & tempus tacendi. Tempus tacendi reputa si aliquis loqui incœperit, vnde dicit Iob. 29. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Tempus etiam tacendi reputa, quando in consortio seniorum, & maiorum tuorum conuersaris. Quod, In medio magnatorum loqui non præsumas, docet Ecclesiast. 32.

Item,

Item, tempus tacendi reputa cum te malitiosis, & obseruatoribus, obsessum videris. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui, dicit Salomon Prouerb. 23. Insipientes appellans incorrigibiles, & obstinatos, quibus desipit quicquid Dei est.

### *Modus loquendi.*

**Q** Vintum est, quod in locutione debet attendi modus loquendi, qualiter scilicet loquendum est. Et iste modus loquendi consistit in tribus: vt scilicet attendas quo sono, quo gestu, qua significatione aliquid dicas. Sit gestus tuus, cum loqueris, modestus, & humilis, sonus mitis & suauis, significatio verax: sit gestus tuus in loquendo modestus, non brachia proijcias, non digitos extendas. Vt enim digitum desinas extendere, monet Isaias. 58. Et Salomon Prouerb. 6. reprehendit illum, qui digito loquitur. Sit sonus tuus in loquendo suauis, non clamorosus, vel tumultuosus, sed (sicut dicit Seneca) vox tua sit sine clamore, & incessus tuus sine tumultu. Sit verbi tui significatio verax, non sophistica: quia, Qui sophisticè loquitur odibilis est, dicitur Ecclesiastici. 37. Imò ante omnem actum tuum, verbum verum, & verax præcedet te, dicit idem Ecclesiasticus. Sophisticè loquuntur sorores quæ per tertiam personam loquuntur, & tales odibiles sunt, quia fraudem faciunt constitutionum. Ecce habes hic  
differ-

differtum, quid loqui debeas, cui, vbi, quando, & quomodo loquendum est.

*De Fraternali Correctione.*

**Q**uia autem circa correctionem proximi maior cautela adhibenda est; ne nimis rigida sit, vel remissa; duo inuestigare, necessarium reputavi. Primum, qui sint, qui teneantur ad correctionem alterius, & quando, & in quo casu sit, & in quo non. Secundum, quæ debet esse correctio. Attende autem quod corripere fratrem, vel sororem præceptum est, & ad hoc tenentur tam prælati, quam subditi; sed loco, & tempore, quando scilicet vacat, & licet, & credit quod sua correctio valeat, & utilis sit ei, qui corripitur. Verumtamen notandi sunt quinque casus, in quibus non obligatur quis ad alium corripiendum. Primus casus est, quando non est spes correctionis, ut in obstinatis & insensatis, qui potius correctione efficerentur deteriores; & ad vituperia inferenda contra correctionem se potius converterent, quam humiliarentur: & tunc cessare potes à correctione. Quia, sicut dicit Hieronymus: Frustra niti, & nihil aliud, quam odiū querere, extrema dementiæ est. Et Prouerb. 9. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Secundus casus est cum timetur defectus probationis, & agitur criminaliter, vbi scilicet obligatur ac-

Hieronymus.

3. **cusator ad talionem, id est, ad consimilem poenā,** si in probatione defecerit. Tertius casus est, quando culpa illius, quem corrigere debes, nota est praelato suo tanquam iudici; vel quando factum est notorium; vel quando ille confessus est in iudicio, vel conuictus. Quartus casus est, cum operi meliori vacas, vel æquipollenti, tunc ad correctionem non teneris. Quintus casus est, quando multitudo, vel potestas est in culpa, vbi correctio plus nocet, quam prodest. Notandum autem, quod Praelatus corripere debet tam corrigibilem, quam incorrigibilem, siue melior, siue deterior effici debeat ex correctione. Priuata autem persona, simplex scilicet frater solummodo tenetur illum corripere, de quo sperat correctionem. Et hoc est de publica & manifesta correctione, quæ pertinet ad praelatum. Nam si praelato confitet, quod correctio sua non valeat, nihilominus debet corripere, si culpa sit manifesta, & hoc propter correctionem aliorum. In priuato autem non tenetur praelatus subditum corripere, si scit illum incorrigibilem, & indiscretum; eo quod ibi nullus fructus est, nec ipse, qui corripitur, emendatur: Nec alij, qui non vident quod sit in occulto, imò tunc debet sapienter dissimulare, sicut Dominus Iesus Christus non corripuit Iudam, quem sciebat proditorem, eo quod hoc fuit occultum. De hac publica correctione, & de eius fructu dicit Isidorus. Manifesta peccata non sunt occulta purgatione purganda, sed palam.

Isidor.

lām arguendi sunt , qui palām delinquant , vt dū  
aperta obiurgatione sanantur illi , qui eos imitan  
do delinquant , corrigantur . Necesse est enim , vt  
pro saluatione multorum vnus condemnetur ;  
quia per vnus licentiam multi periclitantur .

*Quae sunt attendenda in correctione  
alterius .*

**S** Vnt autem in correctione alterius quatuor  
attendenda , scilicet , Discretio , Lenitas , seu  
Mansuetudo , Charitas , & Vtilitas , Vnde etiam  
quatuor modis contingit malè corrumpere . Primo. Primo.  
per indiscretionem , vt si quis publicè manifesta-  
ret crimen alterius sine praeuentione , vel quod  
posset in eum replicari : iuxta quod dicit Aposto-  
lus ad Rom. 2. in talibus : Qui praedicas non fu-  
randum furaris . Indiscretè enim corripit , qui ad  
corripendum aequaliter se habet ad omnes . Nā  
in correctione attendendus est status personarū,  
quae corripiuntur . Quia ( sicut dicit Hierony-  
mus ) non sanat oculum , qui sanat calcaneum .  
Vnde , cum sene , & veterano parcius agendum  
est , vt dicit Seneca , & Apostolus 1. ad Timoth. 5.  
Seniorem ne increpaueris , sed obsecra vt patrē .  
In correctione enim seruanda est modestia . Me-  
diū enim tenendum est inter remissionem , &  
indiscretionem . Nam dicit Apostolus , 2. ad Ti-  
moth. 2. Seruum Domini non oportet litigare ,  
sed mansuetum esse ad omnes . Qui tamen non

Aa 2 pos

Augusti-  
nus.  
Secun-  
dò.

possunt per benignitatem corrigi, per terròrem corrigendi sunt. Vnde dicit Augustinus. Sicut meliores sunt, quos amor corrigit, ita peiores sunt, quos corrigit timor. Secundò contingit malè corrigere, vel corripere per nimiam asperitatem. Qui enim cum dominio, vel obiurgatione alios corripere volunt, similes sunt illis, qui reficiunt patellas veteres, qui foramen vnum volentes obstruere vno ictu mallei multa foramina faciunt, vel patellam omninò confringunt. Quid enim aliud est correctio, nisi vasis fracti reparatio? Nam (vt dicitur Ecclesiastici. 21.) Cor fatui quasi vas contractum. Si ergo reparatur, patellam ictu mallei temperas, cur ad reficiendum cor contractum, non temperas correctionem? Ideo dicit Seneca: Vitia animi sicut vulnera carnis leniter tractanda sunt. Et Ambrosius: Plus proficit amica correctio, quam turbulenta. Sunt etiam, qui pro parua transgressione correctionem facientes granem, iram offendunt, quasi aliquid graue commissum sit. Tales contra muscas, vel pulices cum gladio pugnare volunt. Vnde, iuxta excessus quãtita-tem debet fieri correctio: & motus ad bonam indignationem magis, aut minus commoueri; ita tamen, quòd corrector irã sibi subijciat, & non ab ira subijciatur, secundum quod de beato Malachia dicit beatus Bernardus: Ira eius erat in manu eius: Vocata veniebat, exiens non erumpens, natu ferebatur, non impetu; qua utebatur, non urebatur. Ideo Moyses

Bernardus in sermone  
de statu  
S. Malachie.

ses de vindicta Domini super Aegyptios loquēs, ait in Cantico Exodi. 15. Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam. Sed iracundi non mittunt iram, imò mittuntur ab ira; qui impetū iræ suæ sequuntur, & ad omne quod vident, vel audiunt, si eis non placent, irascuntur, & turbantur. Mitte ergo ò Prælate exemplo Domini, irā tuam, dum excessus corripis aliorum, & non ex impetu vindictam aliorum exequeris, sed ex deliberatione, & iudicio iusto. contra quod stulto dicitur, Iob. 41. Cum apprehēderit eum gladius, subsistere non poterit. Per gladium ira intelligitur, quæ stultum apprehendere dicitur, dum ab ipsa ira superatur. O quam melius est apprehendere gladium, quam à gladio apprehendi. Sic, multo melius est iram tenere, quam ab ira superari. Ad idem etiam facit, quod de Christo iudice dicitur, Sapientiæ. 5. Acuet autem diram iram in lanceam. Ille acuit iram, qui cohibet irā, & animo dominatur, & cum discretionē, & deliberatione vindictam contra peccantem exequitur. Ille autem acuitur ab ira, quem ira superat, qui non nutu, sed impetu fertur. Tertium quod attendendum est in correctione est charitas, iuxta verbum Apocalypsis. 3. Ego quos amo, arguo. Sed sunt quidam prælati, qui illos præcipuè volunt corrigere, quos videātur non amare, quorum correctio, ab ijs, quibus adhibetur non reputatur correctio, sed hostilis persecutio. Quod ex amore procedere debeat correctio, notatur per

Tertiò.

per illud Isaia. 11. Egredietur virga de radice Iesse. Quid per virgam, nisi correctio? Quid per Iesse, qui interpretatur incendium, nisi amor designatur? Quid ergo est virgam de radice Iesse exire, nisi per correctionem de radice charitatis procedere? Nam qui ex malitia accusat alium, vel qui principaliter, & ex deliberatione intendit confusionem fratri, vel sorori inferre, & non correctionem, peccat mortaliter, etiam si verum sit, de quo accusat. Quartum, quod in correctione attendendum est, est utilitas. Inutiliter corripit, qui scienter incorrigibilem corripit: ubi non est utilitas illius, qui corripitur, nec etiam aliorum. Item quando quis vult corripere per potestatem, vel dominium, ibi plus nocet, quam prodest correctio. Nam (ut dicit Augustinus) Mali quandoque sunt tolerandi, & desistendum est à correctione eorum pro pace Ecclesiae. Attende ergo in correctione à te facienda discretionem, lenitatem, charitatem, & utilitatem; & tunc ex eas ad corripiendum, prout in praecedentibus tibi est determinatum. Quomodo autem debet recipi correctio, determinauimus in primo libro, in illo capitulo, ubi ponuntur signa, per quae Cor ostenditur esse coctum, tamquam cibus Domino prae paratus. Et haec dicta de custodia cordis, & linguae sufficiant.

INCIPIT LIBER TERTIVS

DE APERTIONE  
CORDIS.



**E**xpedito tractatu de custodia cordis, & oris, ad tractandum de eiusdem Apertione, nostræ considerationis oculum conuertamus. Secundum autem duplicem faciē, de cordis apertione tractare intendimus. Est enim cor tanquam liber, qui aperiendus est ad legendum. Est & tanquam domus, cuius ostium aperiri debet ad pulsantem intrōmittendum. Primo ergo videamus quomodo cor, tanquam liber, aperiendum sit: & circa partem istam duo considerare oportet. Primò quæ sint lectiones legendæ in libro cordis, seu conscientia. Secundo, quæ, & quot sint impedimenta apertionis cordis, vel conscientia, quæ distrahunt, & retrahunt ne legatur in corde. Attende conscientiam tuam librum esse, in quo legere debes in præsentī vita, in quo in die Iudicij manifestè legent omnes, qui ibi erunt. Liber quoque per cuius scripturam iudicaberis, dicitur enim Danielis. 7. Iudicium fedit, & libri aperti sunt: libri scilicet conscientiarum, qui aperti erunt, quia omnibus erunt manifestæ, quæ modo ita occultæ sunt, & absconditæ, & profundæ. De illis, quæ

in libris istis reperientur, homines iudicabuntur vel ad vitam, vel ad mortem æternam. Testimonia autem conscientiarum scripturæ huius libri sunt. Vide ergo qualem scripturam defers ad iudicium in libro conscientia tuæ. Quod est dicere: quale testimonium fert conscientia tua, vel vitæ, vel mortis. Conscientiæ enim iudicandorum sunt libri, de quibus scriptum est Apocalypsis. 20. Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris. Væ ergo illi, qui quocunque se vertat in libro conscientia suæ scriptam portat causam mortis, & damnationis suæ.

*Quid sit legendum in conscientia.*  
*Lectio prima. Lamentationes.*

**S**I autem quæris quid ibi legendum sit, dico tibi, quodd ibi legere debes lamentationem doloris, & poenitentia, procedentem ex consideratione peccatorum tuorum, periculorum, & miseriæ huius seculi, & postea carmen gaudij, & lætitiæ ex consideratione gaudiorum cælestium: & æternæ damnationis væ reproborum. Hæc sunt tria, quæ Ezechielis. 2. scripta sunt, scilicet Lamentationes, Carmen, & Væ. Lege ergo in libro propria Conscientia Lamentationes priorum defectuum, ut doleas, & dolendo deleas, miseras huius mundi, ut contemnas. Nam de mundo dicitur, Nahum. 3. Qui viderit te resiliet, id est,

id est, retro saliet à te. Ergo quia mundo non resiliunt, sed ad mundum saliant, signum est, & argumentum, quod mundum non vident, sed sunt sicut excecatus, qui ad omnem malum passum audaciter impingit.

*Secunda Lectio. Carmen.*

**S**ecunda lectio in libro cordis legēda, est Carmen, id est gaudium beatorum, id est beatitudinis aeternae: ut ea meditando frequenter, & dulciter suspirando appetas, & acquiras: ut dolor lamentationis ex gaudio carminis temperetur.

*Tertia Lectio. Vae.*

**T**ertia Lectio est Vae damnationis reproborum, ut timeas, & fugias. Scriptum est enim de iusto, Psalm. 113. Mare vidit, & fugit. Quid per mare in hoc loco, nisi praeparum aeternae amaritudo designatur? Qui ergo mare videt, mare fugit, quia, qui amaritudinem aeternam mente considerat, per timorem declinat, resilit, & euit. Ecce triplicem lectionem sub breuitate descripsimus: circa quam versari debet totum flumen animae Christianae; lamentationum videlicet doloris peccatorum, periculorum, & miserrimum. Carmen spei coelestium gaudiorum, vae timoris, imò timorem procedentem ex illius con-

B b fide.

Isidor.

\* Phale-  
ratus.

sideratione, vā damnationis reproborum. Ecce quomodo debemus vnam maturam inter duas virides, scilicet carmen inter lamentationem, & vā, ponere: vt dolor lamentationis mala deleat, & abstergat. Carmen spei bona confirmet. Timor supplicij bona conseruet. Lege ergo in libro tuo. Noli esse de illis, qui libro proprio neglecto, semper volunt legere in alieno. Vt illi, qui propriam negligentes conscientiam, semper alienas explorant, & diiudicare volunt, quos reprehendit Isidorus, dicens: De malo alterius os tuū non inquines. Vitia tua, non aliena attende. Quod ad te non pertinet, noli inquirere. Quid inter se dicant homines nunquam scire desideres. De istis verò tribus, Lamentatione, Carmine, & Vā, potest recte exponi illud verbum Cā-tici, Deuter. 32. Gens absque consilio est, & sine prudentia. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Vtinam saperent, scilicet carmen iocunditatis æternæ, vbi sapor est dulcissimus, qui à palatis cordium purgatorum prægustatur. Vtinam intelligerent Lamentationem mundi: scilicet misérias, angustias, & pressuras. Et bene dicit. Intelligerent, id est, intus legarent. Multi enim legunt mundum extra: & talibus videtur mundus speciosus, delectabilis, & delitiosus: eo quod quadam imagine \* fardatus, & dealbatus est. Et vtinam nouissima prouiderent, id est, multa tormenta, quæ pertinent ad tertiam lectionem, quæ Vā appellatur. Et loquitur in

in hac auctoritate de corde, quasi de libro, ubi primò scilicet videt oculus, deinde intelligit intellectus. Tertio saporat, & delectatur affectio. Primum tangitur, cum dicitur: Nouissima prouiderent. Secundum cum dicitur: Intelligerent. Tertium cum dicitur: Vtinam saperent.

*Sequitur de septem signaculis, quibus liber conscientiae firmatus est, siue de septem impedimentis, quae impediunt ne in libro conscientiae legatur.*

**D** lecto de libro conscientiae, & de ijs, quae in libro legenda sunt: restat dicere de impedimentis, quae nos retrahunt ab huiusmodi lectione, quae sunt septem, & possunt appellari septem signacula, siue firmacula, quibus liber conscientiae firmatus est; de quo scriptum est, Apocalypsis, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere librum, & soluere signacula eius. Agnus pro nobis occisus, est Christus, qui solus potest aperire librum conscientiae: quia ipse, qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Soluit septē signacula libri, quando amouit septem impedimenta, impediuit ne in libro conscientiae legatur. Impedimenta autem sunt haec: Peccatorū defensio, peccatorum excusatio, peccatorum alterius, & non suorum consideratio, peccatorum

celatio, boni propositi extinctio, peccantium multitudo, & in mundanis occupatio. Ecce septē hic enumerata sunt, quæ possunt appellari septē signacula libri propriæ conscientiæ; quæ conscientiam ita ferant, & firmant, ut aperiri non possit, nisi iis impedimentis amotis: Et hæc sunt signa septem, quæ reuelata sunt Ioanni, Apocalypsis. 5. Legitur enim ibi, quod cum aperuisset Agnus primum sigillum, audiuit vocem tanquā tonitui magni. Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum. Ecce in ista reuelatione, quæ in primi sigilli apertione facta est, notatur primum impedimentum, quod est peccati defensio. Sunt enim nonnulli, qui cum de aliquo defectu arguuntur, statim emittunt vocē quasi tonitru magni in murmure, & clamore se ipsos defendentes, & cordis sui tempestatem indicantes. Et de talibus dicitur Ecclesiastici, 19. Sagitta infixæ fœmori canis: sic verbum in corde stultii. Id est, sicut canis, quando habet sagittam infixam in fœmore, clamat, & discurret: Sic stultus, si dicatur ei verbum, quod ei non placeat, dissimulare, & tacere non potest: sed statim per clamores, & querimonias se se cuilibet manifestat. Et quod lequitur: Ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum. Per arcum, hic designatur lingua maledicta, lingua dolosa, semper parata ad emittendum sagittas vulnerantium, & penetrantium vsque ad cor: sicut dicitur Prouerb. 26. Verba susurronis quasi simplicita, & ipsa

ipsa perveniunt ad intima ventris. Per equum album, corpus castum significatur. Tales enim frequentius loquuntur amarius, qui de castitate corporis inaniter gloriantur, & solam exteriorum carnis munditiam sibi sufficere aestimant. Secundum impedimentum, quod est peccati excusatio, designatur per hanc quae sequitur. Cum aperuisset secundum sigillum, ecce equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & ut inuicem se interficiant. Tunc mutuo se interficiunt peccatores, qui per sedentem super equum rufum designantur, quando mutuo peccata sua unus super alterum retorquet; sicut Adam peccatum suum retorsit super Eam: imò super Dominum, cum respondit: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de linguo, & comedi Genes. 3. Eva autem retorsit peccatum suum super serpentem. Ita, qui culpas suas super alios refundunt, sese mutuo interficiunt: & hoc ad peccati excusationem pertinet, quam à se amoveri postulat Psalmista, dicens: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Tertium impedimentum, quod est, Aliorum, & non suorum peccatorum consideratio, significatur per hoc, quod sequitur: Et cum aperuisset tertium sigillum, ecce equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua. Per equum nigrum, corpus peccati, per stateram in manu, tam peccatorum, quam meritorum appensio designatur. Sed sunt quidam,

Pl. 140.

3.

dam, qui stateram portant in manu, dum peccata aliorum ad pondus appendunt magnum, & ponderant; sua verò attenuant, & alleuiant. sua bona magna, aliorum verò parua reputant. De talibus dicitur Osee 12. Chanaan in manu eius statera dolosa. Item Prouerb. 11. 16. & 20. Statera dolosa abominatio est apud Deum. Stateram dolosam appellat iudicium peruersum hominis, qui bona sua commendat, & extollit; bona verò proximorum attenuat, & deprimat: qui in culpa propria excusator, in culpa verò fratris sui semper accusator reperitur. Stateram quoque dolosam habebant Pharisei, qui onera graua humeris hominum imponebant, digito autem suo mouere nolabant, Matth. 23. Contra quos dicit Chrysostomus: Vis apparere sanctus? Erga vitam tuam esto austerus, erga vitam aliorum remissus, vel benignus. audiant te homines parua iubentem, & videant te graua facientem. Prælati autem, qui sibi indulget, & alios aggrauat, est velut malus descriptor tributi in ciuitate, qui reuelat, & onerat impotentes. Contingit enim quando fit talia in aliqua ciuitate super certa summa pecuniæ colligenda; illi, qui illam summam assisicæ faciunt, totaliter imponunt super pauperes, quod nihil inde soluunt. Ita multi Abbates constitutiones, & statuta ordinis, & cætera onera claustrum, sic super claustrales, & alios subditos distribuunt, quod sibi nullam, vel modicam partem retinent. Tales similes sunt carcerum custodibus, scilicet in car-

cera-

ceratorum, qui extra carcerem de bonis illorum, quos in carcere custodiunt, latè, largè, & splendè viuunt, incarcerationis verò strictam, & certam dietam assignant, nec descendunt ad carcerem, nisi ad videndum si prisiones sui benè teneantur, ne scilicet compedes laxentur, aut vineula. Ita plerique Abbates, imò certè ferè omnes in cameris suis extra claustrum, idest, extra carcerem de bonis ipsorum claustralium delicatè viuunt, ipsos in claustrali carcere, cum piso, & olere relinquentes. Vnde, licet vocent se omnes fratres, non tamen omnes scutellæ sunt sorores. Nec illi vnquā carcerem claustri intrant, nisi certis diebus ad intrandum. Capitulum, ad proprietarios excommunicandos, & præcepta cum austeritate, & imperio buccis rubentibus, & peccatori rubenti facienda. Et hæc est statera dolosa, imò certè dolosa. Quartum impedimentum, librum conscientiae claudens est, (vt supra diximus) peccati per hypocrisis celatio. Nam mos hypocritarum est, peccata in confessione celare, ne vilescant, & ne minora de eis sentiantur: & hæc significatum est in apertione quarti sigilli, vbi legitur: Et cum aperuisset quartū sigillū, ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & Infernus sequebatur eum. Quid per equum pallidum, nisi hypocritæ designantur; qui exterminant facies suas vt appareant hominibus ieiunantes? Quod dicitur, quod mors sedebat super equum pallidum, nihil aliud dicere est, nisi quod Diabolus, qui

Quintū  
imped.

qui mortem in mundum induxit, super corda hypocritarum tanto securius sedet, quanto securius propter speciem sanctitatis, quam prætendunt, minus impugnantur. Verè Mors super tales sedet, quia licet nomen habeant, quòd exterius viuunt, tamen interius mortui sunt. Sicut dictum est cuidam in Apocalypsi. Quintum impedimentum est bonorum in corde, per propositum conceptorum suffocatio. Sunt enim multi, qui bona multa concipiunt, & proponunt, sed concepta in corde strangulant, & extinguunt, dum semper peccatis irretiti, & retenti, nihil horum ad effectum perducunt. Et hoc est, quod in apertione quinti sigilli designatur, ubi scriptum est, quod cum aperuisset sigillum quintum. Vidi sub altare animas interfectorum, & clamabant voce magna. Vindica sanguinem nostrum Deus noster. Quid per altare nisi cor designatur, super quod omne sacrificium Deo offerri debet? Quid per interfectos clamantes vindictam, nisi bona proposita in corde suffocata, dum ad opus, seu ad effectum non producuntur, quæ clamant contra illos, qui multa proponunt, & promittunt, & nihil solvunt, & quasi in conspectu Dei eos accusant? O quàm gratiam illi facit Deus, cui donat propositum. Heu quantam culpam committit, qui illud propositum apud se interficit, dum ad effectum operationis amore peccati impedientis non perducit. Propter quod monet Apostolus. 1. ad Thessalon. 5. dicens: Spiritum nolite

estin-

extinguere. Spiritum extinguit, qui bonum propositum in se suffocat, Isaïæ. 37. Venerunt filij vſque ad partum, & non erat virtus pariendi. Ideo dicitur, Matthæi. 24. Væ prægnantibus, & nutriendibus in illis diebus, id est, in morte. Sextum impedimentum est peccantium multitudo. Hoc est, quod retrahit multoties, & impedit ne librũ conscientiæ aperiant, ne in conscientia propria legant. Vident enim ex omni latere peccantes, quorum exemplo trahuntur: propter quod dicit Dominus in lege, Exodi. 23. Non sequeris turbã ad faciendum malum. Exempla multitudinis non te inducant ad peccandum. Et hoc est, quod in apertione sexti sigilli significatur, & legitur: Cum aperuisset sigillum sextum, ecce terremotus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam faccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis: & stellæ de cælo ceciderunt super terram. Quid per terremotum magnum, nisi innumera peccatium multitudo designatur? Quid per Solem, nisi maiores prælati vt Episcopi, & Archiepiscopi designantur, à quibus lux scientiæ, & doctrinæ, & calor charitatis recesserunt? Et hoc est, quod dicit, Solem nigrum effectum tanquam faccum cilicinum. Per lunam autem, minores prælati, vt Abbates, Archidiaconi, Decani, Presbyteri, & huiusmodi, qui versi sunt in sanguinem, hoc est, in peccatum. Per stellæ, subditi designantur, qui in terram ceciderunt, id est, in terrenam cupiditatem sunt penitus inclinati. Et

Sexum  
imped.

Apoca-  
lyp. 6.

Cc

hoc

Septi-  
mū im-  
ped.

hoc maximè erit in fine seculi, quando, omnes penè paucis exceptis, à veritate auertentur. Septimum impedimentum conscientiaè est occupatio nimia in mundanis. Tales enim circa conscientiam vacare non possunt, quos amor mundi multiplice occupatione ligatos tenet. Tantum enim tumultum mundana occupatio in corde hominis facit, quòd non potest audiri quod legitur in conscientia. Et hoc est quod in apertione septimi sigilli demonstratur vbi legitur: Cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo quasi media hora. Quid per cælū, nisi conscientia? Quid per silētium, nisi pax ipsius conscientiaè designatur? Sed quoniam breue est in mundanis istud silentium, per horam dimidiā designatur. Vix enim hora vel dimidia fit in cælo silentium: Et hoc maximè tempestuosæ, & tumultuosæ huius seculi curæ occupantur. Dicit enim Isidorus: Longe est à Deo animus, qui in cogitationibus seculi fuerit impeditus, vel occupatus. Ecce illa septem impedimenta; quæ à nobis cognitionem conscientiaè tollunt iuxta moralem intellectum in Apocalypsi contentum. Et, vt sub breuitate recitemus: si vis in libro conscientiaè tuæ legere peccata tua, ne defendas, & eadē ne excuses. Aliorum excessus tuis prætermittis, ne consideres. Peccata tua per hypocrisim non celes. Propositum bonum in corde non conceptum non interimas. Peccantium multitudinem non sequaris. In mundo non occuperis, & sic in libro

Epilo-  
gus.

libro conscientiae tuae poteris legere, & eiusdem conscientiae tuae librum poteris emendare. Quid est, quod librum vnum materiale, vt puta Missale, vel Breuiarium, vis emendare, & libri conscientiae tuae, secundum cuius scripturam (vt dictum est) iudicaberis, sic incorrectum dimittis? Ora ergo Agnum, qui occisus est, vt librum tuum, gratiam effundendo, aperiat, & supradicta septem signacula soluat, vt in libro conscientiae tuae legere, & emendare valeas: vt in die Iudicii, quando liber aperietur, causam saluationis, & veniae, tuo offeras iudici, & sententiam diffinitiuam pro te valeas reportare.

*Quomodo Cor sit aperiendum ad modum ostij.*

**D**icto de Cordis apertione ad similitudinem libri, restat dicere, quomodo Cor sit aperiendum ad modum ostij domus, ad dignum hospitem suscipiendum. Et attende, quod apertura Cordis Amor est. Ostium cordis aperis illi, quem per amorem in cordis affectum suscipis. Cor illorum, quibus scribebat Macchabæus, aperiri desiderabat, cum dicebat: 2. Maccha. 1. Ada-periat Dominus cor vestrum in lege sua. Et Lex ista, lex immaculata amor est. Quid enim est in lege Domini, cor aperire, nisi per Charitatem Dei, & proximi, ingressum ei præbere? Primò er-

ergo considerandum occurrit, quare, & quomodo cor aperiendum est Deo. Secundò, quare, & quomodo aperiendum est proximo. Et nota, quòd aliquando dicitur homo cor aperire Deo, & aliquando Deus homini cor aperit. Homo aperit cor suum Deo, seipsum ad bona præparando, quantum in se est; faciendo scilicet eleemosynas, peccata confitendo, poenitendo, & satisfaciendo. Deus autem cor hominis aperit, gratiam suam infundendo. Opus enim istud, quod est, cor aperire, Dei est, & hominis. Dei ut inspirantis, & operantis; hominis ut præparantis, & cooperantis. Esa. 26. Omnia enim opera nostra operatus est nobis. Aperi ergo (charissime) cor tuum Christo Domino tuo ad ostium expectanti, pulsanti, & dicenti, Canticorum. 5. Aperi mihi foror mea, amica mea, immaculata mea. Hæc vox est dilecti pulsantis, ut legitur in Cant. & Apocalyp. 3. Ego sto ad ostium & pulso, &c. Et nota quòd pulsatio, quæ solet fieri ad ostia, consuevit fieri manu, vel aliquo, quod manu tenetur; puta, lapide, virga, vel baculo. Insinuauit sponsa duplicem pulsationem sponsi ad ostium cordis, ut ei apeririatur, scilicet beneficiorum, & flagellorum: manu pulsatur beneficiis; Virga vel baculo flagellis. Et sicut solet dici: ille, qui pulsatur cum magno strepitu non venit vacua manu; est signum, quòd aliquid portat: & festiuè talis, & festinanter recipitur, & ei cum festinatione, & gaudio aperitur. Quanta ergo festinatione, & lætitia, o charissi-

risima debes aperire sponſo tuo Chriſto pulſanti, qui cum tanta donorum multitudine pulſat ad oſtium cordis tui? Veniunt enim omnia bona pariter cum illo. Sapientia. 7. Ipſe enim eſt Pontifex futurorum bonorum, vt ait Apoſtolus ad Hebræos. 9. Et benedictionem ſuam, tam gratiæ, quàm gloriæ loco, ad quem intrat negare non poteſt, ſecundum quod legitur, Eccleſiaſtici. 4. Quò introibit benedicet Deus. Habet enim vtrâque manum plenam bonis, temporalibus ſiniſtram, dextram verò ſpiritalibus, ſicut dictum eſt Prouerb. 3. Longitudo dierum in dextera eius: & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Væ ergo illis, qui donis ſiniſtræ receptis, dextræ dona referentem expellunt, & eiſciunt impotatum. Quanta enim ruſticitas eſt donum recipere, & donantem non recipere, ſed expellere? Tales ſunt, de quibus ſcriptum eſt Deuteron. 32. Incaſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit. Item Dominus per Ierem 5. dicit: Saturauit eos, & inſatiati ſunt. Væ etiam illis, qui præ nimia cupiditate munerum excæcati; nec etiam referunt gratias largienti. Iſti ſunt ſicut canis, cui ſi aliquid porrigatur, præ nimia auaritia manum porrigentis non attendens mordet illam, capièdo morſellum. Væ etiam illis, quibus iſta munuſcula rerum temporalium ſufficiunt, & maiora non habituri diſſidunt de illo, in cuius manu ſunt omnes fines terræ. Pſalm. 103. Quo aperiente manu ſua omnia implebuntur bonitate. Attende quã de-

detestabile est obsurdescere, & ostium non aperire illi, qui continuis pulsat beneficijs, & obsequijs omnium creaturarum suarum; ferè ostium cordis nostri frangit, & obstruit, & tamen ei negligimus aperire. Pulsat etiam ad ostium cordis flagellis innumeris, imò etiam quandoque domum ipsam ascendit, & concutit, ac etiam subruit: & tamen somno peccati depressi pigritantes nolumus aperire. Ad ostium enim cordis tui pulsat doloribus, timoribus, & alijs angustijs: domum ascendit, & eam concutit, ac etiam subruit. Et tamen somno peccati depressi pigritantes nolumus aperire. Ad ostium enim cordis tui pulsat doloribus, timoribus, & alijs angustijs: domum ascendit, & quasi crollare facit ægritudinibus, & pænis corporalibus subruit in morte. Nec etiam tunc aperire volunt impenitentium corda. Ista sunt duo instrumenti bellici cornua, qui aries appellatur. Idem largitio, beneficiorum, & percussio afflictionum, quibus etiam munitissimæ ciuitates solent obrui. Sed contra hæc murus pertinaciæ cordis peccatorum immobilis perseuerat. Dicat ergo sponsus ad amicam: Aperi mihi ostium cordis tui, per assensum liberi arbitrij, cuius libertas in apertione notatur: quasi diceret: Tu potes aperire, si vis. Et nota quod sequitur: Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Ecce quatuor nominibus eam appellat, Sororem, Amicam, Columbam, & Immaculatam; quasi diceret: Aperi mihi soror in in-

car:

carnatione propter naturæ humanæ communio-  
nem, Amica mea, in passione, Columba mea, in  
Spiritus sancti missione. Immaculata, in glorifi-  
catione. Aperi mihi cor tuum ad orationem, os  
ad confessionem, spiritum ad amorem, brachia  
ad amplexus, manus ad operationem bonam, &  
eleemosynarum largitionem. Et meritò debes  
ei omnia ostia tua aperire, quia ipse prius tibi  
omnia ostia sua aperuit. Nonne enim latus suum  
in cruce pro te, & tibi ipse aperiri permisit, quā-  
do vnus militum lancea latus eius aperuit, & cō-  
tinuò exiuit sanguis, & aqua? Ioann. 19. Hoc au-  
tem fieri voluit, vt aperto ostio lateris, pateat  
tibi accessus ad cor Christi, qui cor tibi in ipsius  
apertione lateris opposuit, & exposuit, charitatis  
ineffabilis vehementiam ostendendo; quod ad-  
mirans Iob. 7. ait: Quid est homo, quia magnifi-  
cas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?  
Et quid etiam fuit corporis sui ruptio vulnerum,  
nisi quædam apertio ostiorum, vt ibi tanquam  
in abscondito faciei suæ te abscondas, sicut dicit  
tibi per Isaiam 2. Ingredere in petram, & abscon-  
dere, in fossa humo. Quid per petram, nisi Chri-  
stus significatur, de quo dicit Apostolus: Petra  
autem erat Christus? Ingreditur ad petram, qui  
confugit ad Christum, tanquam ad solum, & vni-  
cum refugium. Ipse est petra, refugium Erinacis,  
Psal. 103. Erinacius idem est, quod Ericius, qui  
providente natura semper armatus incedit. Sic  
poenitens semper armatus debet incedere, armis  
scili-

[ Hiero-  
nymus.

scilicet poenitentia. Cinis enim & cilicium arma sunt poenitentium, ut dicit Hieronymus. Petra ergo refugium Erinacius, id est, Christus refugium poenitentibus. Fossa verò humus, caro Christi appellatur; fossa scilicet fossorio lancearum, & clavorum, unde Psalm. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos. In fossa humo absconditur, qui per iugem memoriam in beneficio passionis Christi meditatur. Et hoc est, quod Dominus ait ad Moysen, Exodi. 33. Ponam te in foramine petrae, & protegam dextera mea. Foramina petrae appellantur vulnera Christi, ad quae confugiendum est, ut dextera patris protegatur. Ecce quomodo omnia ostia sua Christus tibi aperuit. Verecundum ergo tibi sit ostia tua ei non aperire, clamanti ad ostium & dicenti: Aperi mihi, &c.

### *De Apertione Cordis facienda proximo.*

**D** lecto de Apertione Cordis Christo facienda, restat dicere de eiusdem apertione, quae proximo fieri debet. Illi qui cordis viscera proximo per crudelitatem claudunt, reprehenduntur à Ioanne, dicente. 1. Ioan. 3. Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Si ergo defectus charitatis ad proximum claudit viscera; eadem si adfuerit, aperit. Introducendi ergo sunt proximi per pietatem in hospitio cordis,

dis, secundum quod monet Isaias, 58. dicens: Egenos, vagosque induc in domum tuam. Sed potest quæri: Si egeni, & vagi in domum cordis sunt introducendi, quid est, quod scriptum est alibi, Ecclesiastici, 11. Non omnem hominem inducas in domum tuam? Quid est, quod Isaias omnes introducendos iubet, cum egenos, vagosque nominat; Ecclesiasticus vero, omnes introducendos prohibet, cum dicit: Non omnem hominem inducas in domum tuam? Soluit Hieronymus: Omnes introducendi sunt affectu charitatis: & non omnes, imò pauci, in secretum privatae familiaritatis, & secretorum communicationem. Quasi enim cor prostitutum habent, qui ad privatas familiaritates omnes indifferenter recipiunt, & ad secreta sua communicant. Quinque in eligendo amicum, in familiaritate amicitiae utile est cognoscere. Primum est Discretio. Si tu vis amicum eligere, discretum elige. Amicitiae enim stultorum solent esse noxiae, sicut Proverb. 13. dicitur: Amicus stultorum similis efficietur; quasi dicas: Qui amicitiam stulti sibi copulat, similis stulto efficitur. Amicitiae enim stultorum parum durant, & de facili dissoluntur: eo quod omnis stultus instabilis sit, & parva occasione de amico inimicus efficitur. Est enim amicus qui conuertitur ad inimicitias, Ecclesiastici. 22. & talis est amor eorum, qui a nimia levitate, & temerario, & puerili affectu ducuntur. Est ideo talis amor de facili dissoluitur; quia non habet discretionis, &

Hieronymus.

Tullius. : virtutis fundamentum. Vnde Tullius : Nihil turpius, quam cum illo bellum gerere, cum quo familiariter vixisti. Item Ambrosius : Constans debet esse amicus, & perseverare in affectu. Nullo puerili modo amicos mutare, vaga quadam sententia : Vnde amor inordinatus plerumq; in rixas & discordias terminatur, quod est vilissimum. Secundum est Bonitas. Mali enim nesciunt esse amici. Vnde Tullius libro de Amicitia : Hoc primum sentio, nisi inter bonos amicitiam esse non posse. Quomodo enim poterit esse verus amicus, qui veritatem non diligit? Augustinus : Nemo potest verus esse amicus, nisi prius fuerit amicus veritatis. Idem : Diligere hominem rectè non novit, qui eum non diligit, qui hominem fecit. Hinc est quod inter bonos fortius solet esse vinculum dilectionis, & hoc ampliore facit amicitiam, quando in aliena sunt patria. Solent enim se amare, qui sunt eiusdem patriæ, quando sunt extra patriam, ac si essent fratres. Ad iddem facit, quod mali odio habent bonos, quia sunt diuersarum patriarum, & quasi contrariarum. Vnde, si boni inter sese non amarent, sine amicis essent. Ideo dicit Dominus in Evangelio. Ioann. 15. Ego dedi eis sermonem meum : & mundus eos odio habuit, quia de mundo non sunt. Item alibi : Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Tertium, quod attendendum est in eligendo amicum, est ut ille non sit iracundus. Dicit enim Salomon :

Pro-

**Prouerb. 22. Noli esse amicus homini iracundo.**  
 Homo enim iracundus est velut lignum ignitum,  
 quod exurit tangentem se: & velut lignum spi-  
 nosum, quod pungit amplectentem se. Ideo,  
 licet sit amandus, tamen eius familiaritas timen-  
 da est. Præterea amicitia eius non duraret: Vin-  
 culum enim amoris igne iræ exurit in eo. Man-  
 suetorum autem amicitia eligenda, quia dulcis,  
 pacifica, & durabilis est: propter hoc legitur Ec-  
 clesiastici. 3. Fili in mansuetudine opera tua perfi-  
 ce, & super gloriam hominum diligeris. Atten-  
 de, quod opera in mansuetudine non tantum in-  
 cipere, (quod multi faciunt) sed etiam perficere  
 iubet: quod paucorum est. Et subdit fructum,  
 cum subiungit: & super hominum gloriam dili-  
 geris. id est, plusquam mundana gloria, quæ ab  
 omnibus multum diligitur. Quartum, quod at-  
 tendendum est in eligendo amicum est, quod nō  
 sit superbus. Superbus enim nescit esse socius,  
 sed semper vult dominari, & talis nescit esse ami-  
 cus. In amicitia maximè paritas attenditur, vt  
 maior parificetur minori. Vnde Hieronymus  
 dicit: Quod Amicitia aut parem accipit, aut fa-  
 cit, & quia superbus par esse nescit, non est aptus  
 ad amicitiam, imò potius ad contumeliam, & ri-  
 xam. Vnde Prouerb. 11. Vbi fuerit superbia, ibi  
 erit & contumelia. Quintum considerandum,  
 circa electionem amici est fidelitas, quæ consistit  
 in continuatione amoris in omni tempore, tam  
 prospero, quam aduerso; Omni enim tempore.

Quartū.

{Hieronymus.

Quintū.

diligit, qui amicus est, Proverb 17. Et tali amico nulla est comparatio, sicut dicitur Ecclesiastici. 7. Et non est digna ponderatio auri, vel argenti contra bonitatem fidei, quia fidelis amicus, semper est amicus, etiam post mortem, quod non est aurum, vel argentum. Fidelis amicus vitam conseruat, tam spiritualem, quam corporalem, seu temporalom. Amicus fidelis medicamentum vitæ, ait Tullius in libro de Amicitia.

Tullius,

---

INCIPIT LIBER QVARTVS  
DE STABILITATE  
CORDIS.

**H**ost tractatum de apertione cordis sub multiplici diuisione diffusum; ad tractatum de ipsius cordis stabilitate accedamus. Cordis stabilitatem commendat Apostolus ad Hebræ. 12. dicens: Optimum est enim gratia stabiliti cor. Et verè optimum. Est enim cor stabilire quædam imago, siue representatio æternitatis, vbi omnia stabilia sunt, & inconcussa. Notandum autem, quod cum in anima duo sint, scilicet intellectus, & affectus: stabilitur anima in veritate per fidem, quod ad intellectum. In bonitate verò per fortitudinem, quod ad affectum. Attende, quod illi intellectus stabilitatem non habent,

bent, qui iuxta verbum Apostoli ad Ephesios. 4. Omni verbo doctrinæ circumferuntur, quorum etiam intellectus diuersarum cogitationum spiritu variatur. Contra quos dicit Ecclesiasticus. 19. Qui credit citò, leuis corde est, quod est dicere: Ex vitio lenitatis venit, quodd homo citò credit; id est, subito & sine deliberatione, quod maxime contra illos dicitur, qui spiritibus erroris attendentes, & à scripturarum testimonijs recedentes in fallibilibus, in augurijs, & sortilegijs fidem suam ponunt. De stabilitate igitur Fidei locuturi primò dicemus super quid, secundò per quid debet fundari intellectus noster. Circa primum modum notandum est, quodd duodecim sunt Fidei nostræ articuli secundum numerum duodecim Apostolorum, qui Symbolum composuerunt, qui suat duodecim fundamenta ciuitatis; de quibus loquitur Ioannes Apocalyp 21. Hæc sunt enim fundamenta, super quæ debemus stabili, iuxta quod dicitur Prouerb. 1. Audi fili mi disciplinam patris tui. Scriptum est enim Tobæ 2. Deus vitam daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Primum fundamentum, siue primus articulus fidei nostræ pertinet ad patrem: sex sequentes ad filium, quorum primus secundum diuinitatem, quinque alij secundum humanitatem. Primus itaque articulus est: Credo in Deum, &c. Credo, id est, fide tendo in Deū. Credere enim in Deum (vt dicit Augustinus) est credendo in eum ire, & credendo diligere. Et  
nota,

Primus  
artic.

nota, quodd multi credunt Deo, qui non credunt in Deum. Credere enim Deo, est credere vera esse, quæ à Deo dicuntur, quod faciunt multi, sed pauci in eum credunt, id est, in eum corde, & amore tendunt, & sic multo plus dicit: Credere in Deum, quam credere Deo. Sequitur: Patrem omnipotentem: Attende hanc coniunctionem valde dulcem esse fideli. Patri enim non deest bona voluntas ad filios, & præcipue patri misericordiarum, qui minus quam mater obliuiscitur filiorum, sicut ipse dicit per Isaiam. 49. Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tuum. Et sicut non deest patri voluntas, ita omnipotenti non deest potestas complendi bonam voluntatem. Patri omnipotenti conuincuntur plenaria fide non adhærere, qui relicto ipso adhærere Diabolo, credentes se fame morituros, si seruiert Deo. tanquam Diabolus melloris sit voluntatis, & maioris potestatis ad providendū eis, qui sibi seruiunt, quam Deus. Sequitur: Creatorem Cæli, & terræ. Creare est de nihilo aliquid facere: Ad declarationē huius verbi, quod dicit: Cæli & terræ, dicitur in Symbolo sanctorū, Factorem cæli, & terræ, visibillum omnium, & inuisibillum. Quæ expressio facta est contra errorem Manichæorum, qui dicunt, ista visibilia esse à principe tenebrarum, scilicet, Diabolo; inuisibilia verò à Deo. Secundus articulus, siue secundum fundamentum, super quod debet stabiliri cor nostrum est istud: Et in Iesum Christum  
Do-

Secundus  
artic.

Dominum nostrum, filium eius vnigenitum. Huius autem sensus est: Credo, id est, fide tendo in Iesum Christum, quod est dicere: Fide teneo, quod ipse Iesus Christus sit Saluator eorum, qui in eum credunt, & quod ipse sit Christus, id est, vnctus per benignitatem, & mansuetudinem. Sequitur: Filium eius, id est, Credo quod ipse sit filius eius, cui seruire, regnare est. In hoc autem, quod dicitur, filius Dei, insinuat quod ipse est Deus. Sicut enim filius hominis, homo est, filius serui, seruus est, ita filius Dei, Deus est, non alterius speciei. Vnde dicit Augustinus in libro de Symbolo: Quicquid est, quod generat, est id quod gēneratur. Non generat homo bouem, ouis canē, sed homo hominem, ouis ouem; Deus Deum. Sequitur, Vnicum dominum nostrum: Attende Christum Dominum Deum esse duplici iure, scilicet creationis, & redemptionis: Nullo enim iure habet dominium aliquis in creatura, nisi solus creator. Et contra vniuersale Christi dominium videntur peccare, qui dominari in mundo appetunt, & qui contra voluntatem Domini, dominiis terrenis volunt seruire, & qui prelati renunt obediē. Attende, illum pro Domino solum esse habendum, qui suscitare potest hominem, si in eius seruitio mortuus fuerit. Non libenter sequitur miles dominum illum, qui non potest ei restituere equum suum, si in eius seruitio illum amiserit: nec libenter seruit aliquis domino illi, qui non potest reddere vestem nouam, si

in

Tertius  
artic.

in eius seruitio vestes suas consumpserit. Tertius articulus, primus inter eos, qui pertinent ad humanitatem. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Christus conceptus est ex Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, id est, operatione Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus separavit à Beata Virgine, quod purissimum erat in ea, & formavit inde corpus Christi, & in instanti animam infudit, ut tam citò esset verus homo, & verus Deus. Nec fuit anima infusa circa quadagesimum diem à conceptione, sicut dicitur fieri in alijs, sed continuò fuit vir perfectus gratia, scientia, & beatitudine, quod vult dicere Ieremias cum ait, cap. 31. Quia creavit Dominus novum super terram, Foemina circumdabit virum. Et nota, quòd filius Dei ex vehementi desiderio nostræ liberationis noluit expectare lentas operationes nostras, sed statim habuit corpus formatum, & animatum. Nota quòd Christus in conceptione culpa caruit, in natiuitate matri suæ damnata virginitatis non intulit, nec ei doloris causa fuit: in quo dedit exemplum filijs, ut benigne se se circa matres suas habeant, nec eis sint causa doloris vel damnationis. Nam de parentum offensa habetur Ecclesiastici, 3. Maledictus à Deo, qui exasperat matrem. De illis autem, qui bona parentum superflue exponunt, & expendunt, & malitiose subtrahunt, dicitur Proverb. 28. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum; particeps homi-

**homicida est. Quartus articulus est: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus mortuus & sepultus.**  
**Attende fidelis anima, quanta pro te passus sit, & à persona tam vili, & criminosa, quæ etiam indigna erat vita; scilicet à Pilato infideli, & crudelissimo. Cruci enim fuit affixus, quod erat genus vilissimum tormentorum, in qua pependit perseverans vsque ad mortem, nec ad clamores Iudeorum, & militum insultantium, & dicentium: Si Rex Israel est, descendat de Cruce: Lucæ. 23. Noluit descendere, in signum quod tu à Cruce poenitentiae ad vocem Diaboli, seu quocumque amicum carnalium non discedas. Attende etiam, quod in morte eius tenebrae factae sunt super terram, Matthæi. 27. Terræ etiam motu petrae scissae sunt, & monumenta aperta sunt. In quibus duritia cordis humani denotatur, & condemnatur iuxta verbum Hieronymi, dicentis: Compatiuntur elementa conditori suo; refugit Sæd, quia non poterat videre mortem Domini collaborans laboranti: Terra movetur, petrae franguntur, velum templi diuiditur, sepulchra aperiuntur, solus miser homo non compatitur pro quo solo Christus patitur. Sepultus est, licet corpus eius non esset dandum corruptioni, secundum illud Psal. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Voluit tamen pius Iesus hac absconsione sepulcri nobis assimilari. O anima charissima, sepulto domino propter te, fac intra te sepulturam per humilitatem, & spiritus**

Alias de-  
scendas.

E c pau-

paupertatem, ipsum apud te recondendo: per hæc enim duo, scilicet humilitatem, & paupertatem intra te sepelire debes corpus Christi, imò certè totum Christum tuum. Dicit enim Isaias.

II. Erit sepulcrum eius gloriosum. Chrysostomus: Contemne diuitias, & eris diues, contemne gloriam, & eris gloriosus; & sic, sepultum Christum tuum inuolues in sindone munda cum Ioseph. Matth. 27. Quod exponens Beda dicit: In Sindone munda inuoluit Christum, qui eum pura mente suscipit. Quintus articulus est: Descendit ad Inferos, & hoc secundum animam, vt extraheret suos, qui erant in limbo. Limbus appellatur ora, siue porticus inferni, vbi erant Sancti antiqui expectantes liberationem; iuxta quod scriptum est, Zachariæ. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu. Et attende peruersitatē hominis, qui non vult sequi Christum in cælum, cum ipse Iesus ad hominem liberandum secutus est hominem in infernum. Sextus articulus est. Tertia die resurrexit à mortuis. Si ergo Christus mortuus, sua virtute resurrexit, verisimile est, quod ipse iam viuens mortuos potuerit suscitare, qui ad probandam suam resurrectionem omnibus discipulis manifestus apparuit. Ioann. 20. Se ipsum visibilem, & palpabilem eis exhibendo, Lucæ. 24. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Attende etiam Christi resurrectionem causam esse, & signum resurrectionis

Quintus  
artic.

Sextus  
artic.

spi-

spiritualis, quæ fit per gratiam, dum anima à morte peccati resurgit, secundum quod ait Apostol. ad Romanos. 6. Vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriâ patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Attende Christi resurrectionē gloriosā, secundū formā esse tuæ resurrectionis in anima, vt sicut Christus veraciter, integraliter, & æternaliter resurrexit in corpore: ita tu veraciter, integraliter, & æternaliter resurgas in anima. Veraciter. n. nō phāsticè Christus surrexit, secundū illud Euāgelij, Lucæ. 24. Surrexit Dñs verè, & apparuit Simoni. Phantasticā, & non verā resurrectionē p̄tendunt hypocritæ, qui signa vitæ spiritualis in verbo, gestu & habitu prætendentes exterius, interius vitā gratiæ per corruptā intentionē, & occultā malitiā extinxerūt. Vnde talibus competit illud verbum Apocalyp. 3. quod quidam falso diuiti dicitur: Nomen habes, quod viuas, & mortuus es. De talibus etiam dicit Apostolus. 2. ad Timoth. Speciem quidem pietatis habentes, & virtutem eius abnegantes. Item integraliter surrexit Christus in corpore, vt tu integraliter per gratiam resurgas in anima; cum sint quidam, qui à peccato vno per poenitentiam, & confessionem resurgunt, & adhuc flagitijs multis detinentur. Quid enim prodest à peccato luxuriæ resurgere, & in morte superbæ, seu auaritiæ detineri? Nam, qui ferro vestitum per vnā partem percusserit sagitta, ita cadere facit, quemadmodum si totum nudū percussisset, dicit Chry-

Iohannis. Eodem modo ( vt idem docet ) Chri-  
 stianus quamuis omnem iustitiã fecerit, si in vno  
 peccauerit, sic peccator constituitur, quemad-  
 modum si in omnibus peccasset. Nihil ergo in-  
 te de veteri homine remaneat, vt cum Christo  
 tuo integraliter resurgas. Item, surrexit Chri-  
 stus æternaliter, quia resurgens ex mortuis iam  
 non moritur: Ad Rom. 6. Sic tu à mortuis pecca-  
 ti resurgas, vt amplius per peccatum non moria-  
 ris, sed in vita gratiæ perseueres. Qui enim diu  
 in peccato permanferunt, si aliquando ad horam  
 videntur per poenitentiam resurgere, de facili ad  
 consueta reuertuntur, quia vetus equus de facili  
 non ponitur in ambulatura, & equus incrassatus  
 rumpit capistrum. Ecce vera, integra, & perse-  
 uerans animæ resurrectio; Veræ, integræ, &  
 æternæ Christi resurrectioni respondens. Septi-  
 mus articulus est. Ascendit ad cælos, sedet ad  
 dexteram Dei patris omnipotentis, inde vestu-  
 rus est iudicare vivos, & mortuos. Attende, q  
 si Christus ascendit in cælum, post eum necesse  
 est ascendere eos, qui ei fide & dilectione adha-  
 rent. Et ideo bonum est tibi semper adherere  
 Christo tuo: quia in eodem hospitio necesse est  
 membra recipi, in quo caput receptum est, quia  
 ipse dixit: Vbi ego sum illic erit & minister meus.  
 Secundum quod homo est, sedet ad dexteram  
 patris, & quiescit tanquam post laborem pas-  
 sionis: ita, si tu cum Christo laboraueris, & passa-  
 fueris illic tibi sessio concedetur. Noli ergo la-  
 bores

Septi-  
 mus ar-  
 tic.

bores cordis deuitare, per quos tibi talem præparas sessionem. Sedet etiam ad dexteram patris Christus, in quantum Deus est, quia patri est eorum qualis regnat æqualitas enim per dexteram designatur. Considera ergo Christum tuum sibi, & tibi ad dexteram patris locum elegisse, quia in dextera eius sunt delectationes eius usque in finem. Sequitur. Indé venturus est iudicare viuos, & mortuos: id est, bonos, & malos. Vel ad literam, viuos, id est illos, qui in aduentu suo ad iudicium vini reperiuntur, qui momento moriuntur, & resurgent; & illos omnes, qui ab initio mundi mortui sunt. O quam gratus illis erit ad videndum, qui cogitatione peccatorum suorum timidi accedent: grauior verò ad audiendum; quando tonabit mirabiliter voce sua, sicut dicit Iob. 40. grauiissimus verò ad sustinendum: nam firmatus Moyse, vt dicit lex, Exodi. 17. Erant graues, certe illius grauiores manus erunt. Quanto enim terribilior apparebit malis, tanto mitior apparebit bonis. nam tunc eis erit magna fiducia, quando videbunt fratrem suum, & amicum iudicare. Vnde Gregorius in quadam homelia: *Quia Dominus blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis.* Sed quæri potest vtrum vultus iudicantis mutabitur, vt alterius modi videatur iustis, & alterius iniustis appareat? Item quæri potest, qualis apparebit pueris non baptizatis, qui nec gloriam, nec poenam sensibilem ab ipso expectabunt? Ad hoc responderi potest, quòd

terror

Gregor.

Octauus  
artic.

terror vultus eius, vel blandities ex conscientijs hominum noscetur iudicandorum, vultu suo penitus immutato; sicut duo iudicandi distant coram iudice. Nam ille, quem torquet conscientia mali facti, reputat iudicem terribilem: Alteri autem, qui nihil mali conscius est, videtur index esse blandus, & benignus. Circumstantes verò iudicem aspiciunt neque blandum, neque terribilem, quia nec bonum, nec malum expectant ab eo, neque suæ liberationis, neque suæ punitionis conscij sibi sunt. Ita Christus in iudicio bonis blandus, terribilis malis: neque blandus, neque terribilis paruulis apparebit. Octauus articulus pertinens ad Spiritum sanctum. Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Attende, quòd ad Spiritum sanctum quinq; pertinent: Tria, scilicet, in præsentì, & duo in futuro. Primum est, quòd cum ipse sit bonitas, ad ipsum pertinet destructio sui contrarij, scilicet, malitiæ, seu peccati. Vnde ad eum pertinet sanctificatio; & ideo dicit: Sanctam Ecclesiam Catholicam, id est, Credo quòd Spiritus sanctus sit, & quòd Ecclesia sanctificetur per ipsum. Sequitur Sanctorum communionem: Ad Spiritum Sanctum pertinet communio, id est, vnio membrorum in corpore Ecclesiæ. Sicut enim Spiritus hominis vnit membra in corpore humano; sic Spiritus sanctus vnit, ligat, & coniungit fideles ad inuicem tanquam membra ad caput, quod est Christus. Item, ad Spiritum sanctum pertinet com-

Com-  
munio  
sancto-  
rum.

Seneca.

Septem  
per quæ  
cogno-  
scit com-  
munio  
sactorū.

communicatio, quam habent sancti ad inuicem, hoc, quod socij sunt in lucro, sicut mercatores associantur in nundinis, ut quicquid lucrantur sit in commune. Ita est de communione sanctorum. Ideo dicit Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te. Si ergo in mandum istum intraſti tanquam ad nundinas, consulendum est tibi, ut paruum catallum tuum ponas cum ditioribus, & sapientioribus mercatoribus, quos in foro huius mundi poteris reperire. Et, qui sunt diuites, & sapientes mercatores, nisi viri religiosi, qui paupertate, regnum, humilitate, gloriam labore quietem perpetuam comparare nouerunt? Quando claustrum intraſti, associasti te mercatoribus Regni cælestis, & paruum catallum tuum cum eis posuisti. Væ tibi, si consortia & communionem talium elegisti, cum quibus catallum tuum saluare non potes: ut faciunt illi, qui claustra delicata, & dissoluta eligunt, & deteriores in consortio claustralium dissolutorum sunt, quam si in sæculo remansissent. De hac communione loquens Seneca, ait: Consortium omnium rerum facit amicitia: nec prosperi quicquam nec aduersi singulis est, sed totum mittitur in commune. Ecce sanctorum communio, quam facit Spiritus sanctus. Sunt autem septem, in quibus attenditur, per quæ potest cognosci sanctorum communio, per similitudinem membrorum in corpore. Primum est, quod vnum membrum officium suum sibi non appropriat, sed membris alijs gratis

gratis communicat. Oculus enim non sibi, sed membris omnibus operatur. Pes non sibi, sed corpori ambulat, & totum corpus portat. Sic verus claustralis non sibi solum, sed omnibus fratribus communicare debet si quam habet gratiam, secundum quod dicit Apostolus ad Romanos. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius membra. Item in eodem: Necessitatibus sanctorum communicantes. Secundum est, quod vnum membrum non inuidet alteri membro, licet officium non habeat istud membrum, quod habet aliud membrum. Sic tu, si in humiliori officio fueris constitutus, alijs, qui in sublimiori officio fuerunt instituti, si membrum vis esse corporis Christi; nō inuideas. Tertium est, quod membra infirmiora amplius honorantur. dicit enim Apostolus, 1. ad Corinth. 12. Quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorum circundamus. Sic tu, si membrum Christi es, non debes eos, qui ignobiliores, & infirmiores videntur despiciere. Dicit enim Ambrosius: non est fraternus amor, nisi mutuis se præueniāt obsequijs. Ad hoc autem facit, quod dicit Chrysostomus: Sicut homo intelligit quod membrum honorabilius habeat in corpore suo, & quod fuerit inhonestum, ipsa autem membra se non cognoscunt. Si honorabilia, aut contemptibilia sint: sic differentiam inter sanctum, & sanctum Chri-

Ambro-  
sius.

Chryso-  
stomus.

Christus solus cognoscit, cuius membra nos omnes sumus: ipsis autem Sanctis non est concessum, ut cognoscant dominium suum ab inuicem, ne meliores superbiant contra deteriores. Si ergo membrum Christi es, non te præferas alij membro, cum non concessum sit tibi dignitatem cognoscere; sed soli Christo, cuius es membrum, iudicium tu relinquant. Quartum est, quod illud, quod vnum membrum recipit, omnibus communicat. Si verò aliquod membrum amplius debito sibi de eo, quod sibi distribuitur retinuerit, quod ex defectu virtutis digestiue aliquando cōtingit; ad malum suum retinet. Est enim illud, quod retinetur materia apostematis, vel aliter infirmitatis. Sic fit, præcipue inter claustrales. Ad malum enim tuum o claustralis retines quod fratribus tuis non vis esse commune. Hæc sunt enim diuitiæ conseruatæ in malum domini sui, de quibus scripsit Salomon Ecclesiastici 5. Quintum est, quod vnum membrum sibi reputat fieri, quod alij sit in eodem corpore, siue sit bonum, siue sit malum. Nonne, si lædatur manus, vel pes dicit, cur me lædis? non dicit: tu lædis pedem. Si calcei tibi dantur, omnes regratiatur, & dicit: tu me calceasti. Sic, si membrum Christi es, debes tibi reputare quod sit fratri, vel sorori, ut mala eius tua reputes per compassionem, eius bona tibi attribuas per congratulationem. Sextum, quod est vnicum membrum, si læsum fuerit ab alio membro, se non vindicat: ut cum scindis

*Quartū.**Quintū.**Sextum.*

Ff

ali-

Septi-  
mum.

Miseri-  
cordia  
est pōs.

aliquid, pedem scindis; & pes læsus, de manu, quæ eum scidit non se vindicat, sed sustinet. Sic tu, si verè Christi membrum es, si frater tuus, aut soror te læserit, vel offenderit, non vindictam quæras, sed patienter feras, & hoc est, quod iubet Apostolus: Nulli malum pro malo reddentes, ad Rom. 12. Septimum est, quod vnum membrum pro alio læsioni se exponit, vt manus pro oculo. Si tu, qui membrum Christi es, malum poenæ, ne frater tuus malum culpæ incurrat, debes in te velle suscipere; & exemplo Christi capitis tui, qui in cruce scapulis suis obumbravit tibi, ictum pro te recipiens super se, ne super te ictus ultionis diuinæ descenderet. Ecce habes, in quibus consistit, & per quæ cognoscitur Sanctorum communio. Sequitur: Remissionem peccatorum. Credere enim debes, quod peccata per Baptismum, & Poenitentiam, & alia Ecclesiæ Sacramenta plenè remittuntur. Attende ergo, quod si per Spiritum Sanctum remittuntur offensæ, signum est, quod Spiritum Sanctum habes, si offensas tibi factas offensori remittis: alioquin plenus es spiritu maligno. Si per Spiritum sanctum facta est tibi remissio, & misericordia, noli fratri misericordiam denegare. Noli subuertere pontem misericordiæ, quem transiisti, dicit Chrysostomus. si magnum opus misericordiæ dicitur, pontes facere: maxima crudelitas est, pōtes destruere. Pons enim per quem transitur ad Deum, misericordia est. Noli ergo misericordiam denegare,

gare, maximè ex quo te oportet per pontem misericordiæ pertransire. Item, ad benignitatem Spiritus sancti pertinet remuneratio tam in corpore, quàm in anima. Ad remunerationem corporis Christi pertinet sequens articulus. Carnis resurrectionem. Ad remunerationem animæ, vitam æternam. Qui carnis resurrectionem fideliter credit, non timet miserum corpus expendere in servitio Christi, ex quo sperat se recepturum illud cum gloria quadruplici, claritatis, impassibilitatis, subtilitatis, & agilitatis. Non enim timet aliquis vestes suas veteres, & pannosas expendere in illius domini servitio, qui potest præciosas, & novas pro vilibus reddere. Sed nonnulli sunt in claustris, qui videntur diffidere de domino, ita parcentes corpori, quasi dominus non possit eis novum corpus glorificatum restituere. Tales sunt similes filiis pauperum vetularum, qui quotidie iuxta sepes ad Solem veteres panniculos consuunt, & reconstuunt; & quicquid ex vna parte reficiunt, laceratur ex alia. Ita, qui cuilibet petitioni carnis exactricis volunt indulgere comedendo ad quamlibet excitationem famis, dormiendo quotiens à somno deprehenduntur, vitam ducunt læonum, qui totum corpus expendant circa reparationem veterum paniculorum suorum, quod vilissimum est. Attende consuetudines Ordinis tui: Redduntur veteres panniculi vestiario, quando nova recipiuntur ab eo. Iam vetera vestiario tuo Christo, qui carnibus, & pel-

Pati labores admo-  
net.

le vestiuit te, reddidisti, quando claustrum intra-  
 sti, & corpus tuum, quod corrumpitur, & aggra-  
 uat animam, (Sapient. 9.) eius seruitio mancipa-  
 sti. Non enim decet te esse veterani vestium ex-  
 actricem, sed morem nobilium geras, qui vestes  
 dissutas, & calceos dissipatos portare consueue-  
 runt, quod tamen vix aduertunt; ita corda nobi-  
 lia circa huiusmodi curam carnis, (nisi quantum  
 necessitas corporis) non intendunt. Sunt enim  
 quidam rustici, qui faciunt cum Gabaonitis po-  
 ni quædam signa calceis, antequam depreciantur,  
 Iosue 9. Sic huiusmodi carnales quam citò som-  
 niant se esse aliquantulum ad infirmitatem dis-  
 positos, sola opinione infirmati declinant statim  
 ad infirmariam, antequam infirmentur. Sicut de  
 quodam narratur, qui in tantum timuit, ne le-  
 pram incurreret, quod ex ipso timore statim le-  
 profus effectus est. Item, de altero, qui in tantum  
 timuit, ne caderet de alto coenaculo, quod præ  
 timore corruit. Corpus enim pro modo suo ne-  
 cesse habet induere formas ab anima deprehen-  
 sas: vt patet de illo, qui apprehendit aliquid hor-  
 ribile, statim corpus inhorrescit, & pili sui quo-  
 dammodo eriguntur: & etiam in illo, quem ali-  
 quid delectabile carni apprehendit, statim caro  
 ad illicitum commouetur: sic corda melancholi-  
 ca, & timida ex ægritudinis apprehensione solo  
 timore aliquando contingit ærotare. Ideò di-  
 citur Prouer. 18. Pigrum deiicit timor. Memen-  
 to ergo de carnis tuæ innouatione, & sic carnis  
 vetu-

vetustæ consumptionem non formidabis. Attende corpus tuum quasi quoddam animal laboriosum tibi mutuo concessum ad faciendum opus tuum. Noli ergo illud tenere ociosum, & dimittere infatigatum, cum pignores quandiu penes te remanebit, ne infecto negotio, ab illo, qui concessit, repetatur. Vnde dicit Chrysostomus: Si mutuo acceperis bouem, vel equum, operaris instanter, & dicis: forsitan cras tolletur à me. Quare hoc non facis de corpore? Sequitur: Vitam æternam ingreditur, qui fidem habet de vita æterna, sollicitus debet esse quomodo illi provideat. Si enim cum tanta sollicitudine providetur huic tam miseræ vitæ, de qua nemo certus est de solo die: quanta sollicitudo debet esse providendi illi vitæ, de qua certus es, quod erit æterna? Et est sensus: vitam æternam, idest, credo vitam æternam premium esse bonorum, & per contrarium, mortem æternam supplicium fore malorum. Natura enim oppositorum est, ut vno dicto, intelligatur & alterum. Ecce habes duodecim articulos fidei tuæ, qui sunt (ut supra dictum est) duodecim fundamenta ciuitatis, de quibus loquitur Beatus Ioannes Apocalyp. 21. qui etiam figurati sunt per duodecim lapides, quos tulerunt filij Israel de medio fluminis Iordanis ad locum castrorum, Iosue 4. Hæc sunt puncta fidei tuæ. Væ Christiano, qui puncta trium deciorum in lectu oculi bene scit numerare, puncta autem fidei suæ, vel etiam implicite numerare nō nouit.

Quæ

*Quae stabiliunt, & confirmant Cor.*

Cap. 4.

Bernar.

**D**ilectis, super quæ stabiliri debet intellectus noster, restat dicere, quæ ad fidei nostræ confirmationem habent animam stabilire. Nota autem, quod inter multa, quatuor sunt, quæ fidem nostram valdè confirmant, & stabilem reddunt. Primum est, miraculorum operatio: nulla enim vnquam alia secta habuit miracula, nisi sola fides nostra. Miracula fidei nostræ ab Abel incæperunt, quando (vt scriptum est) in Genesi, Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Quo modo autem respexerit, determinat alia translatio, quæ sic habet: Inflammatiuit Dominus super Abel, & super munera eius. Ignis enim de coelo oblationem eius incēdit. Et ad hoc facit signum, quod acceptum erat coram Domino illud, quod offerebat. Deinde subsecuta sunt miracula sub Noe, Genes. 6. & 7. qui arcam imminente tempore diluuii fabricauit, Patriarcha, & sub alijs vsque ad legem Moyse, & deinde in gente Hebræorum multiplicata sunt. Tandem in hac fide cum Apostolis miracula translata sunt; quod etiā inter cætera non paruum miraculum (vt dicit Bernardus) reputandum est, quod Dominus totum mundum, & eius altitudinem per homines simplices, & pauperes, scilicet Apostolos subiugauerit. Item accedit adhuc, quod Sancti non solum viui, imò etiam mortui fidem nostram miraculis

Gregor.

2.

culis innumeris confirmauerunt. Dicit enim Gregorius: Omnia elementa authorem suum venisse testata sunt. Vt enim quodam vsu humano loquar, Deum hunc, cœli esse cognouerunt; quia protinus stellam miserunt. Mare cognouit, quia sub pedibus eius se calcabile præbuit. Terra cognouit, quia, eo moriente contremuit. Matth. 27. Sol cognouit, quia lucis suæ radios abscondit. Secundò, facit ad fidei nostræ confirmationem testimonium multitudo omni exceptione maiores. Quid dicit Ioannes Baptista, Matth. 12. quo nullus maior, qui ad hoc venit, vt testimonium perhiberet fidei nostræ, Ioan. 1. & 21. Quid Ioannes Euangelista, qui vidit, & testimonium perhibuit, sicut ipse dixit in Euangelio, vbi dicit de Christo nostro: Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre, &c. Quid omnes Martyres, qui testimonio fidei probati sunt inuenti? Quid etiam antiqui Philosophi, qui vnā causam omnium, vnā summam potentiam, sapientiam, & benignitatem disseruerunt? Quid fuerunt omnes isti, nisi testes producti ad perhibendum fidei nostræ testimonium? Et attende, quod testimonium hominum talium fuit, qui notæ, & probatæ per omnia sanctitatis fuerunt, mundi contemptores, nullum hominem timentes. Quod, si tibi parum videtur, addo, quod ipsi Martyres veritatem fidei nostræ morte propria confirmauerunt: cum manifestum sit, quod nullus sani capitis morte audeat mendacium confirmare: cum etiam homi-  
nes

nes falsi, & mendaces in morte veritatem confi-  
 teantur. Quomodo ergo in te locus dubitatio-  
 nis posset relinqui super certitudine fidei nostræ,  
 quæ nihil certius, quæ per tot, tantosq; testes pro-  
 bata esse dignoscitur? Tertiò, faciunt ad com-  
 mendationem fidei nostræ reuelationes, & pro-  
 phetiae Isaia, Ieremia, & aliorum, quos fidei no-  
 stræ veritas habet, & in Christo nostro impletæ  
 sunt. Iudei verò modò prophetias non habent,  
 qui fidem nostram, imò suam, idest, suorum Pro-  
 phetarum deseruerunt. Quartò, facit ad fidei no-  
 stræ confirmationem, quia fides nostra, dignissi-  
 ma de Deo, & de ipso homine probabiliora sen-  
 tit. Verè sentit de Deo dignissima; aliæ enim se-  
 ctæ malè de Deo sentiunt, vel de Dei omnipot-  
 tentia, sicut illi, qui negant Deum posse corpora  
 nostra suscitare, vel naturam nostram posse assu-  
 mere. & in tantum diuinæ potentia derogant,  
 quod negant Deum posse illud, quod ipsi ne-  
 queunt intelligere. Alij malè sentiunt de Dei ho-  
 nitate, vt illi, qui negant semel lapsos in pecca-  
 tum, per poenitentiam posse redire. Alij de eius  
 iustitia, sicut illi, qui negant Deum iudicaturum  
 peccata, aut qui dicunt saltem non iudicaturum  
 eum æternaliter. Fides autem nostra Dei omni-  
 potentiam, summam eius iustitiam prædicat, &  
 infinitam bonitatem. Ideò dicit Augustinus; Pru-  
 dentium est assumere, & fidelium credere, quæ  
 sit fides purior, manifestior, & dignior. Nihil  
 enim dignius diuinæ maiestati potest attribui,  
 quàm

Proba-  
 bilitas fi-  
 dei ma-  
 xima.

August.

quàm quod fides nostra tenet. Item, quæ de ipso homine probabiliora sunt, sentit fides nostra, & quæ magis decent rationalem creaturam. Docet enim te fides ad imaginem, & similitudinem Dei creaturam vivere, iuxta verbum Apostoli ad Ephes. 5. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Item, ad similem gloriam Divinæ gloriæ promittit pervenire, iuxta verbum 1. Ioan. 3. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Gens Iudæorum, & gens Mahometi indigna sentiunt de Dei magnificentia, dum gens Iudæorum sperat divitias, & solam affluentiam bonorum temporalium à Deo: dum sibi dari expectat auream Ierusalem. Gens autem Mahometi solum deliciarum carnalium remunerationem expectat. Vtriusque spes ferè brutalis est, & hominum, qui animas suas in vanum acceperunt: cum anima, quæ invisibilis est, sit solum bonis invisibilibus remuneranda. Nec ipsa anima rationalis hominis inferioribus bonis bona fieri potest. Bona enim vita invenitur, cum id, quod optimum est hominis, & amatur, & habetur; & quod nihil deterius sibi esse, quàm ipse homo, potest. Cum ergo delitiæ, & divitiæ carnales deteriores sint ipso homine, homini benefacere non possunt. Vnde dicit Augustinus: Quisquis, quod se ipso deterius est, sequitur, fiet ipse deterior. Cum ergo fides Christiana, tot, & tanta firma habeat argumenta veritatis: inexcusabiles sunt, tot, tantisque argumentis nolentes acquiescere, & meritò puniuntur.

1. Ioan-  
nis 3.

August.

G g

tur.

tur. Valdè enim ponderosus est, vel nimis debilis, quem tot appodiationes nō sufficiunt sustentare. Nec mirum, si offenditur prima veritas, tot pignoribus signorum, vel aliarum probationum ei non creditur, cum paucioribus testibus, vni quantumcunque incredibili crederetur. Et hæc dicta de fulcimentis nostræ fidei sufficiunt.

*De stabilitate, siue de constantia Cordis.*

**P**Osito fundamento intellectus tui, duodecim videlicet articulis fidei, & determinatis, quæ sunt, quæ fidem confirmant: de stabilitate animi, siue affectibus disseramus. Notandum, quod nobilitas est animi firma constantia, & in proposito perseverans. Est autem duplex lex. Constantia, seu stabilitas quædam est generalis, quæ attenditur in perseverantia propositi, quæ circuit omnem virtutem. Et est constantia specialis, quæ attenditur circa res terribiles, & ad sustinendum difficiles, quæ lædunt naturam, & hæc constantia pertinet ad fortitudinem. Attende autem, quod Constantiæ est servare medium inter pertinaciam, & mutabilitatem, quorum vtrumq; vitium est. Pertinaces non constantes appellandi sunt, qui nullo consilio à suo proposito possunt reuocari. Sed stabilis est, qui à suo proposito recedit, cum credit Deo displicere; & in eo perseverat, cum illud Deo placere putat; secundum quod de filiis Israel legitur, qui ad imperium Domini proficisce-

ficifcebantur, & iterum ad eiusdem imperium figebant tentoria. Exodi 14. & Num. 2. Tu ergo, qui ad eius, qui tibi præest consilium, vel socij tui, & discretionis, à tuo proposito non vis recedere, noli te putare constantem, sed pertinacem: Murabilitatem affectus reprehendit Salomon in pigro, dicens, Prouerb. 13. Vult, & non vult piger. Affectus enim pigrorum, idest, mollium, & effoeminatorum cordium de facili fastidium patiuntur: modò volūt, modò nolunt, modò amāt, modò amatum relinquunt. Talium corda comparantur vesicæ natanti in aqua. Ideò Seneca in Epistolis: Ante omnia hæc cura, & obserua, an eadem velis hodie, quæ heri. Mutatio enim voluntatis indicat animum natare, atque illuc properare, quò vêtus impulerit; sicut vagatur, quod malè fixum, atque fundatum est. Seneca.

*Quatuor quæ faciunt ad instabilitatem.*

**N**Otanda autem sunt quatuor, quæ faciunt ad instabilitatem. Primum est stultitia; nunquam enim à stulto stabilitatem expectes. Omnis stultus instabilis, iuxta verbum Ecclesiastici 27. Stultus sicut luna mutatur. scilicet de cogitatione in cogitationem, de voluntate in volūtatem, de desiderio in desiderium, de peccato in peccatum. Dicit enim Salomon Prouerb. 15. Cor stultorum dissimile erit; scilicet sibi ipsi, & hoc facit vagatio voluntatum. Vnde tales solent compa-

rari candello flammico, qui citò vertitur. Hinc Seneca in Epistolis: Quid est sapientia, idem velle, atque nolle; stultitiæ nihil constat, nihil diu placet ei: lapis quadratus stabilis est. Ita benè ordinatus homo, stabilis est. Primum argumentum mentis compositæ, existimo secum existere, & se cum morari. E converso, omnis malè ordinatus, instabilis est. Secundum, quod animam facit instabilem, est peccatum, idè dicit Ierem. Thron. 1. Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Est enim cor peccatoris, tanquam pila, quæ ad quemlibet modicum impulsu circumvoluitur circumaque. Idè dicitur Isaïæ 22. Quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiofam. Sicut enim pila ludis rusticorum de vno ad alium impellitur; ita cor peccatoris de peccato vno, ad aliud, quasi inter manus diversas Dæmonum proiicitur. Tertium, quod animam reddit instabilem, impatentia est. Omnis enim impatiens instabilis est, iuxta verbum Boetij, in libro de Consolatione, dicentis: Quis est ille tam felix, qui cum dederit impatentiæ manus, statum suum mutare non optet? Attendo, quod id, quod gubernaculum facit naui, hoc patientia facit cordi. Est enim patientia tanquam gubernaculum, navis regitium. Vnde Salomon Prov. 14. & 16. Qui patiens est, multa gubernator prudentia. Et sicut naus sine gubernaculo ventis, & turbinibus agitur, & tandem tempestate compulsa eliditur, & frangitur ad rupes, & scarpulos;

2.  
Peccatū  
instabile  
facit.

Boetius.

pulos; sic cor impatiens in mari tribulationis desolatione affligitur, & ira, & cum indignatione ad scopulos cuiusque offensionis alliditur. Dicit enim Dominus per Isaiam 54. Paupercula tempestare conuulsa, absque vlla consolatione. Et quæ est illa paupercula, nisi anima impatiens, virtutum possessione spoliata, quæ tempestas cuiuslibet tribulationis, vel tentationis tangente nauem absque gubernaculo à sua stabilitate euellit; & absque vlla consolatione euulsam relinquit. Quartum, quod animam reddit instabilem, est defectus timoris: timor enim reddit animam stabilem; sicut lapides superpositi aëribus superiecta eos custodiant, ne à vento rapiantur, quali moueantur. Vnde dicit Ecclesiasticus 25. Timor Dei super omnia se superposuit. Item, sicut ancora nauem stare facit, ita timor cor stabile reddit. Dicit enim Gregorius: Ancora mentis est pondus timoris. Aduerte, quam periculosum est in mare anchoram perdere; quanto elamorem, quanto vtilitatem nauigantium anchora perditæ. Nam sine ancora, cor sine timore. Et attende, quod sicut bonus timor animum reddit stabilem: nam malus facit instabilem, & facit huc, atque illuc fluctuare. Timor malus in mundanum, & humanum timorem. Mundanum habet quis, cum peccare velit ne laedatur in possessione. Humanum autem habet, qui eligit peccare ne laedatur in corpore. Timorem mundanum habet amator luarus pecunie, qui omnes ferè, quos videt, timet,

4.

Timor stabilem efficit.

Gregor. Timor ancora est.

Timor mundanus.

met, si videt pauperem, æstimat furem: vt dicit Angustinus, si vidit diuitem, reputat prædonem. Talis nunquam quiescit, nunquam securus est. Imò, sicut dicit Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Timorem humanum habent, qui nimis timent pelli suæ, & qui nimis se concredunt, qui scilicet, ne morbum, vel debilitatem incurrant; nimis fouent carnem suam, labores, vigiliæ, & cæteras disciplinas sui ordinis abhorrentes, quæ seruare se dicunt propter Dei seruitium, qui tam post longam reuerſionem, nondum Dei seruitium inchoauerunt. Si tu ad Dei seruitium comedis, cur tandiu comedisti, quod adhuc seruire Deo non incepisti? Isti ad modum equi umbratici, qui ad aus volatum, aut motum folij terretur, aut resilit, trepidant, vbi non est timor, Psal. 13. quibus conuenit, quod Leuitici 26. legitur: Terrebit eos sonitus folij volantis. Sed (vt dicit Gregorius) Qui non metuenda in infinitis metuunt, à summis metuenda patiuntur. Fac igitur, o clauſtralis, de corpore tuo sicut escuarij consueuerunt facere de equis umbraticis: vrgent enim eos fortiter calcaribus, & inuitos, ac resistentes faciunt eos per loca, quæ plus reformidant, frequenter pertransire. Sic tu, carnem tuam, licet sensualitate, seu anima secundum sensualitatem repugnante, ad grauiora opera cogas, vt vitium umbracitatis excutias ab eadem. Plura enim nos terrent, quàm premunt, (dicit Seneca)

& plus

Gregor.

Seneca.

& plus opinione, quàm re laboramus. Attende corpus tuum morem gerere equi expaumentum habentis, qui in egressu de stabulo claudicat, postea verò in progressu, rigore tibiæ propter motum à calore consumpto, rectè vadit, & ambulat. Sic, amore, & feruore spiritus in progressu operationis concepto, corpus tuum, quod quasi in principio claudicabat, ad opera strenuum, & forte inuenies. Attende, malè timentes carni suæ, Cain assimilari, qui (vt scriptum est Genes. 4.) ad Orientalem plagam Eden vagus, & profugus declinavit. Eden, delitiæ interpretatur, si- Eden  
delitiæ. ne voluptas. Quid est ergo ad orientalem plagam Eden declinare, nisi ad carnis voluptates, quæ nobis contemperandæ sunt, (sicut dicit Philosophus) quod orientalis plaga significat, animum declinare? Tales vagi, & profugi sunt super terram: vagi, dico, dum sequuntur diuitias, profugi dum fugiunt, & abhorrent molestias. Et si vagi, & profugi, ergo sunt instabiles.

*De constantia in aduersis, contra instabilitatem.*

**S**I vis ergo stabilitatem animi habere, accipe remedia fortuitorum, vt te aspera fortuna non moueat, de quibus remedijs in libro, qui de remedijs fortuitorum appellatur, Seneca agit: Seneca. de cuius verbis pauca ponamus. Concionatur ille secum

secum hoc modo Morieris, inquit: Hac conditione intraui, ut exirem. Morieris: Peregrinatio vita est; cum multum ambulaueris, deinde redeundum est. Item Morieris: stultum est timere, quod vitare non potes. Mortem non effugit, qui distulit. Item Morieris: Neque primus, nec ultimus, omnes antecesserunt, omnesque sequentur. Item. Paragrè morieris: Ego quod debeo, solueroparatus sum, videat foenerator ubi me appellet. Item. Iuuenis morieris: Optimum est mori, dum delectat vivere. Item. Morieris iuuenis: Fortassis alicui malo te servat fortuna; & si nulli alicui, certe saltem seestuti. Insepultus iacebis; Quid aliud respondeam, nisi illud Virgilianum: Facilis iactura sepulchri. Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis insepulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est. Quid interest, ignis, aut fera me consumat, aut tempus omnium sepultura? Non defunctorum causa, sed viuorum, est inuenta sepultura; ut scilicet foeda corpora ab odore, & visu amouerentur. Item: Seneca. Idem Seneca in libro de naturalibus quaestionibus: Nihil refert, an citò, an tardè mors veniat; nam, quod à nobis peti necessarium est. Pusillares est hominum vita, sed ingens est contemptus vitae: hanc qui contempserit securus videbit maria turbari, stabit super illam voraginem intrepidus, & fortassis, quò debet cadere, prosiliet. Quid ad me, quam magna sint, quibus pereò, ipsum perire non magnum est. Nihil interest,

vtrum

utrum me lapis vnus elidat, an toto monte pre-  
 mar. Item, Idem: si volumus tranquille manere,  
 vita in expedito habenda est, siue illam insidiæ,  
 siue morbi petant. Item, Idem secum quærit, &  
 sibi ipsi respondet, ita dicens in libro de remedijs  
 fortuitorum: Exulabis. & respondet: Patria est,  
 vbicunque bene est. In libro de moribus: Illud,  
 per quod bene es, in homine est, non in loco. Item  
 dicit sibi ipsi: Dolor tibi imminet. Respondet: si  
 exiguus est, feramus; leuis doloris exigua est pa-  
 tientia. Si grauis est, feramus; non enim leuis est  
 gloria. Item, Idem: Pecuniam perdidisti; fortasse  
 illa te perdidisset. O te felicem, si cum illa auari-  
 tiam perdidisti. Sed si manet illa, scilicet, auari-  
 tia apud te, es tamē vtcunque felicior, quoniam  
 tanto malo materia subducta est. Item, Idem:  
 Pecuniam perdidisti; Respondet: Et illa quidem  
 quam multos. Eris nunc in via expeditior, do-  
 mitutior, exonerauit te fortuna si te intelligis, &  
 tutiore loco posuit. perdidisse pecuniā damnum  
 putas, & remedium est. Item, Idem: Oculos per-  
 didisti. Respondet: Quam multis cupiditatibus  
 via incisa est. Oculi sunt irritamenta vitiorum,  
 ducesq; stelerum. Item, Idem: Amisisti liberos:  
 Respondet: Solutus es, si desleas mortem mor-  
 talium. Perierunt perituri, heredes illius erant  
 magis quam tui. Educandos tibi mandauit. Re-  
 cepit illos non abstulit. Item, Idem: Amicum  
 perdidisti: Respondet: Alium quære, & ibi cum  
 quæras, vbi inuenire possis. Quære amicum in.

Pecuniā  
 perdere  
 non ma-  
 lum.

Hh

labo-

laboribus, inter recta, & honesta officia: Nam im-  
 mensa res tanta, ut amicus non quaeritur. Audi  
 charissime huius Philosophi remedia, seu conso-  
 lationes contra quaecunque huius mundi aduer-  
 sa tibi proponentis. quæ, si in corde tuo firmiter  
 fixeris, quamcunque mortem, seu quoscunque  
 mortis apparatus non timebis. Hæc enim (ut  
 dicit Hieronymus) maxima securitas, nil timere  
 præter Deum. Notandum, quod stabilitas loci  
 facit ad stabilitatem animi. Instabilis enim est  
 animi, locum frequenter mutare. Unde Bernar-  
 dus ad Fratres de monte Dei: Impossibile est ho-  
 minem fideliter figere animum suum in vno, qui  
 non prius aliquo loco perseveranter fixerit cor-  
 pus suum. Nam, qui ageritudinem animi migran-  
 do de loco ad locum effugere nititur, sic est, qui  
 fugit umbram corporis sui, quia se ipsum fugit, &  
 se ipsum circumfert: locum mutat, non animum;  
 eundem ubique se invenit, nisi quod deteriorum  
 facit ipsa nobilitas. Sicut lædere solet agrum, qui  
 ipsum circumferendo concutit. Sicut etiam fe-  
 bricitantes ex ipsius caloris interioris distempe-  
 rantia se ipsos agitant, nec diu super vnum latius  
 iacere possunt; pedes projiciunt, & brachia extra  
 lectum. Sic multi claustrales quidam animæ dis-  
 temperantia agitati in silentio claustrii, in oratio-  
 ne chori residere non possunt; sed otiosi per clau-  
 stri officinas discurrent, & tunc primò in suis of-  
 ficijs se occupant cum pulsatur ad horas. Isti  
 etiam sunt quasi aves incarceratas, quæ non pos-  
 sunt

Hieron.

Bernar.  
 Stabili-  
 tas loci,  
 stabili-  
 tem cor-  
 dis ope-  
 ratur.

Febrici-  
 tās, &  
 religiosi  
 mali, idē  
 motus.

sunt quiescere, sed semper percurrunt per ca-  
neam, modò huc, modò illuc saliendo. Tales sunt  
moniales, quæ ad modum avis incarceratæ sem-  
per ad fenestram locutorij rostrum habent, &  
quæ ab oratorio ad locutorium leui motu auo-  
tantur, & vix à locutorio ad claustrum possunt  
reuocari. Tales & infirmitatis, & instabilitatis  
animi signum gerunt. Tales etiam sunt sicut pa-  
nis de fenestra, qui à venditore ad fenestram po-  
situs facilius desiccatus est. Otiosæ enim sessio-  
nes in portis, vel in fenestris, & flatus confabula-  
tionum inutilium decolorantes in cordibus hu-  
iùsmodi monialium consueuerunt generare, &  
humorem deuotionis auferre. Illæ verò, quæ se  
in interioribus claustri tenent, & iuxta verbum  
Isaïæ 4. à vento se abscondunt, & celant se à tur-  
bine vitiorum sæcularium, & à tempestate, &  
pluuia noxiarum rerum, tanquam panis de ar-  
mario teneritudinem, & humorem deuotionis  
facilius retinent, quæ ab illis, quæ ventum pa-  
scent, & à vento pascuntur, exuffantur. Item no-  
tandum, quod constantia animi, siue stabilitas  
valdè admirabilis est in statu præsentis vitæ, quæ  
ita instabilis est, (vt dicit Iob 14.) quod, Nun-  
quam in eodem statu permanet. Ponit etiam sta-  
bilitas animi hominem quasi in statu Angelico,  
notat verbum sapientis mulieris, dicentis ad Da-  
uid, 2. Reg. 14. Sicut Angelus Domini, sic est Do-  
minus meus Rex, vt nec benedictione, nec male-  
dictione moueatur. Sic etiam ille, quem cuiusli-

Monia-  
les quasi  
aues in-  
carcera-  
tæ.

bet prosperitatis benedictio non eleuat, & ad-  
uersitatis maledictio non deiecit. Optimum est  
ergo gratia stabiliri cor. ad Hebr. 13. Et hæc di-  
cta de cordis stabilitate sufficiant.

INCIPIT LIBER QUINTVS

## DE CORDIS DATIONE.



**E**X PEDITO tractatu de cor-  
dis stabilitate, quinto loco ad  
tractandum de ipsius cordis  
datione stylum cōuertamus;  
Attendētes cui cor dandum,  
quare, & quomodo dandū.  
Cui, & quare, dico, cordis  
aētori, reformatori, amatori; illi soli, à quo cor  
impleri potest, dandum est. Vnde tanquam por-  
tionem nobilissimam, & desideratissimam, cor  
sibi dari instanter petit, Prouerb. 23. dicens: Præ-  
be fili mi, cor tuum mihi. Si cor tuum est ad ven-  
dendum, emptorem instantissimum inuenisti: si  
ad auferendum violentissimum prædonem si ad  
donandum, inopportunistissimum rogatorem. Si  
enim cor tuum est vendendum, Christus illud  
multo pretio emit, proprio scilicet sanguine:  
sanguine, dico, quem amator ad cor tuum com-  
parandum tam abundanter effudit. Considera,  
& attende, si equum habes, si vestem, si cibum; vis  
scire

scire quanti tibi confiterentur. Quare ergo negligis? Attende quanti tu ipse constitisti. Ene tu tibi vilior equo, veste, vel cibo, quorum pretium desideras? pretium autem cordis tui à tua memoria repulisti in tantam, ut tibi conveniat illud, Proverb. 10. Cor impiorum pro nihilo. Pro nihilo dari dicitur, quia de eius custodia non curatur, & cor suum dimittunt abire pro nihilo, cum Christus tanti emerit, ut solus possideret. Debesne vile reputare cor tuum pro quo tot, & tanta tibi offeruntur? scilicet omnes thesauri coelestes, etiam ab illo, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae absconditi, ad Coloss. 2. Item, si cor tuum est auferendum, nonne Christus, quasi praedator violentus innumeris verberibus diversorum generum tribulationibus te afficit, & affligit ad hoc, ut in corde tuo, quod in tantam iniuriam contra ipsum retines, & retinendo perdis, ipsum pacifice gaudere permittas. Vides vassallos, qui à dominis suis spoliantur, quod contra ipsos guerras mouent; & cum alio modo res suas non possunt retrahere, rapinis saltem, & incendijs recuperare contendunt. Tali modo Christus tuus multiplicem tibi guerram mouet, angustias interiores, & afflictiones corporis suscitando, ut sic saltem cordis tui spoliis valeat retrahere. Si plene cor tuum ei reddere promiseris, quasi re sua recuperata pacem cum eo habebis. Ideo iuxta monitionem Iob 22. Acquiesce igitur ei, & habeto pacem. Nam, sicut Sophoniae 3. dicitur, sile-

Christus  
quomodo  
cor  
præda-  
tur.

In Deum tuam dilectione tua: quasi dicat: Tunc  
 Deus placabitur, cum eum dilexeris. O quanta  
 virtutis est dilectio, quae sola Deum pacare, &  
 placare potest! Si verò ei non acquieveris, quin  
 potius per rebellem, & obstinatam voluntatem  
 ei resisteris, nunquam tibi bellum deficiet. Hoc  
 bellum necesse habes experiri in angustiis con-  
 scientiae remordentis. Hinc est bellum intesti-  
 num, quod nunquam deficiet peccatori. Quis  
 enim unquam restitit ei, & pacem habuit? Iob 9.  
 quasi dicat: Nullus. Acquiesce igitur ei, & ha-  
 beto pacem, & per hoc habebis fructus opti-  
 mos, dicit Idem 22. Item, si cor tuum est dan-  
 dum, cui iustus dabis, quam illi, & improbo, &  
 vehementissimo amatori, qui cordi suo sibi da-  
 to tam inseparabiliter adheret, ut etiam ab ipso  
 corde dimissus recedere non velit, sed reclamet,  
 & recessum contradicat? Item, illi cor tuum  
 praebe, cui cor tuum debes iure vicissitudinis,  
 illi scilicet, qui summa tibi dedit, ut cor pro corde  
 dares, quia iuxta vulgare: Vnum bonum, aliud  
 requirit. O quam felix commutatio, ubi totum,  
 & quod commutas, & quod commutatur penes  
 te remanet: cum cor tuum cum Christi tui cor-  
 de, in tua retines possessione: Quum scilicet reti-  
 nes, & obolum. Nonne cordis sui donum tunc  
 praecipue tibi fecit, quando unus militum lancea  
 eius latus aperuit? ut ad ipsum cor tam dulce ru-  
 pto pariete, ostio fracto per clauem regiam amo-  
 to omni obstaculo via tibi patefceret, & fide re-  
 cla,

Cor iu-  
 ste Chri-  
 sto dan-  
 dum.  
 † Id est,  
 magno,  
 & inde-  
 fesso.

Ita, ac dilectione integra ad cor suum libere intrares: & ibidem charissima cor tuum per fidem, & meditationem, quoad intellectum, per amorem, & compassionem quantum ad effectum studeas collocare. In cuius positionis, seu locationis figura praeceptum fuit in lege, Deutero. 31. Quod in latere arcae foederis liber legis poneretur. Quid enim per librum legis, nisi cor humanum intelligitur? qui liber legis appellatur, eo quod in eo lex naturalis scripta est, vt dicit Augustinus. Quid per Arcam foederis, nisi caro Christi figuratur, monens compassionem confederati futurus Deus. Quid per latere Arcae, nisi plaga lateris Christi designatur, in quo percutus est liber, id est, cor humanum, secundum quod monet Psalmista, dicens, Psal. 47. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Virtus Christi propria amor est, in quo tanquam in loco suo cor est ponendum. Attende autem, quod corda dicit, non ora: multi enim ora ponunt in virtute, qui corda habent posita in infirmitate; vt illi, qui grandia docent, & nulli, vel minima faciunt. Ingrediat ergo cor tuum, charissima, ad cor Domini Dei tui, quandiu patet tibi ingressus: vt res tam chara, tam gratiosa ad placam non remaneat, vt tibi dicitur Ezech. 44. *Pone cor tuum in vijs templi per omnes exitus sanctuarij.* Quid per sanctuarium, nisi Christus intelligitur, qui omnes exitus vulnerum suorum tibi aperuit, vt tibi pateat liber accessus? Nonne ad turres, & munitiones tempore hostilis vastationis

August.

Quid,  
ponere  
corda in  
virtute.

Christus  
est turris  
fortitudinis.

tionis hominum multitudo fugere consuevit? Aperuit igitur tibi latus suum, tanquam fortitudinem suam, ut ibi, tanquam in loco securo valeas latitare. Quod autem in passione, & præcipue in lateris apertione cor suum tibi dederit, patet per Ecclesiasticum, ubi, sub similitudine fabri, de illo, qui fabricauit Auroram, & Solem dicitur, cap. 38. Cor suum dedit in consummationem operum. Quid est operis Christi consummatio, nisi ipsius passio, in qua opus nostræ redemptionis consummatur! Vnde meritis in cruce dixit: Consummatum est, Ioan. 19. Tunc enim totum cor suum ad discopertum dedit, quando inclinato capite, emisso spiritu, aperto latere, sanguis nostræ redemptionis, & aqua nostræ regenerationis ab ipso latere continuo exierunt.

### *Quomodo Cor sit dandum.*

Obedientia, est  
datio  
cordis.

**D**icto, cui, & quare sit cor dandum, dicere restat, quomodo sit dandum. Notandum, quod cor datur per amorem. Cor suum dat, qui amat, secundum quod ostensum est supra in primo tractatu, & ideo pertransimus. Dicitur etiam cor dari Deo per obedientiam, quæ pertinet ad donum consilij. Est enim obedientia de ijs, quæ pertinent ad consilium, & supererogationem. Cor tuum o claustralis dedisti, quando voluntatem, & sensum tuum proprium in Prælati tui manu reliquisti, ad similitudinem Christi, ex obedientia in

tia in cruce morientis, & dicentis; Lucae 23. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Sic tu, o claustralis mundo moriens, Deo tuo tanquam fidelissimo depositario spiritum tuum per obedientiam in manu Prælati tui factam studeas commendare. Noli admirari de eo, quod voluntatis propriæ derelictionem appello donationem, ubi ante commendatio appellatur. Quantum enim est ex parte dantis, datio est; ex parte verò recipientis commendatio: quia ex huiusmodi cordis sui libera datione infinitissimus fructus reportatur. Ipse enim cum multo foenore reddit, quod in manu eius redditum est. Cautus ergo claustralis, ne spiritum tuum, quem per obedientiam Prælati factam, reliquisti, præsumas resumere: ne furti iudicio apud Deum condemnemur. Ipsa enim est, quæ hominem furem facit. Cum enim per votum transfulerit dominium suæ voluntatis in Deum, & Prælatum; & iterum contendit facere propriam voluntatem, vult furari alienum; & Deo subtrahere quod suum est. Ex quo aufert Deo rem suam, iustum est, ut diuinis priuetur beneficijs; iuxta verbum Gregorij dicentis: Dignum est, ut ab eius beneficijs sit alienus, qui voluntati eius non vult esse subiectus. Noli ergo claustralis propriæ subijci voluntati, sicut illi, qui semper suam voluntatem facere voluntatem, nec alijs obtemperare, sed sibi semper obtemperari volunt. O quam malum dominium elegisti, qui propriæ voluntati seruire contendis.

Inobedientia,  
furtum  
est.

Gregor.

Propria  
voluntas  
tortor  
est.

Hic est spoliator omnium bonorum tuorum rapidissimus. Hic est cordis tui crudelissimus tortor, verè spoliator, nam ipsa propria voluntas est, quæ merita euacuat: Vnde Isaïas 58. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? quod est dicere: O Domine, quare non placuit tibi ieiunium nostrum? Et respondet ibidem dicens: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: quasi dicat Dominus: Non mihi placet ieiunium, vbi propria voluntas retinetur. Verè tortor cruentissimus est propria voluntas; non enim cor subiectum sibi requiescere sinit, & infinitas facit incurrere læsiones. Attende, quando rad tui cuius barba, quàm disciplinatè, quàm patienter se habet sub nouacula, seu rasorio, permittit enim à rasore caput suum verti modò ad dexteram, modò ad sinistram, mentum leuari, os aperiri, & huiusmodi, ne, si rasori resistat, vulnus reportet, sanguine pilum sequente. Eodem modo, o claustralis, quandiu es sub disciplina, attende te sub manu rasoris positum, non vnius, sed fortè plurium. Quot enim Prælatos habes, tot rasores habes ad pilos tuorum excessuum refecandos. Noli ergo claustralis sub rasorio correctionis rebellare, quin potius à rasoris manibus patienter te permittas tractari, ne læsiones grauiores tam in corpore, quàm in mente te oporteat reportare. Attende, quòd sub manu rudis, & inepti barbitonforis, is, qui raditur, magis disciplinatè, & magis obedienter se habet, eo quod, si sub ma-

Religio-  
sus sub  
manu  
rasoris.

nu

ut talis se modicū moueret, citius læderetur. Ita  
 ubi inepto, & dyſcolo Præſato plurimum expe-  
 dit ſe obedientius habere. Non enim tantum bo-  
 nis, & modetiſtis ſubditum eſſe oportet, vt dicitur  
 1. Petri 2. ſed dyſcolis. Notandum autem, quòd  
 ſunt quidam Prælati, qui ſine aqua ſubditos ra-  
 dere volunt, quod eſt graue illi, qui raditur. Quid  
 per aquam, quæ humectat barbam, niſi lenitas  
 quædam, & blandities designatur, quæ corre-  
 ctionem exeuntem à Præſato debet præire, exi-  
 re, & etiam comitari, iuxta verbum Apoſtoli di-  
 centis, ad Galat. 6. Fratres, & ſi præoccupatus  
 fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpiritua-  
 les eſtis, huiusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.  
 Volebat Apoſtolus humectare barbam raden-  
 dam, qui in ipſum lenitatis correctionem fieri  
 volebat. O quàm graue eſt à malo barbitonſore,  
 & dentato raſorio, ſine aqua radi? Quid per ra-  
 ſorium dentatum, niſi mordax, & vitioſa corre-  
 ctio intelligitur, quæ illos, qui malè raduntur, id  
 eſt, ineptè, & mordaciter reprehenduntur, cogit  
 cum lachrymis faciem rigare? Attende etiam,  
 quòd ille, qui durum, & rigidum pilum habet,  
 magis laborat ſub raſorio: ſic, qui culpam ſuam  
 per deſenſionem rigidat, ſub diſciplina deterius  
 habet. Noli ergo o Prælate aquam dimittere in  
 barba radenda, ideſt, lenitatem, in correctione  
 fraterna. Aufer dentes à raſorio tuo, ideſt, con-  
 uitium à correctione tua, vt malum pilum, ideſt,  
 exceſſum ſubditi tui potius videaris furari, quàm

Radere  
 ſine a-  
 qua, eſt  
 ſine blā-  
 ditijſ  
 corripe-  
 re.

Imperā-  
dū cum  
preci-  
bus.

violenter auferre. Attende etiam o Prælate sub  
alia similitudine conclusionem eandem. Qui vult  
asinum suum onerare, mollia supponere consue-  
uit, ne summa superposita lædat asinum, & eius  
dorsum excoriet. Ille etiam, qui vult quadrigam  
suam trahere, modulos quadrigæ suæ vngit, vt  
suauius, & leuius ab equis trahatur. Noli asinum  
Domini tui, curæ tuæ commendatum sine sella  
agere, ne contra te recalcitrans refiat, & dicat  
Dominus tuus: hoc est ad bonum ius. Noli qua-  
drigam onerandam inunctam relinquere, sicut  
illi, qui cum austeritate, & dominio imperant  
omni vnctione consolationis, & dulcedinis rese-  
cata. Tales Prælatos, imò certè tyrannos repre-  
hendit Dominus per Ezechiel. 34. dicens: Cum  
austeritate imperabitis eis, & cum potentia; &  
quod insequitur, adiungit: Et dispersæ sunt oues  
meæ. Inordinatum enim imperium Prælatorum  
sequitur dispersio, & dissipatio subditorū. Exem-  
plum habetur de Roboam, à quo populus Israel  
decessit, eo quod cæsiōem scorpionum eis fue-  
rat comminatus, 3. Reg. 12. Non dedigneris er-  
go o Prælate cum Apostolo pro tempore obse-  
cationibus uti, qui ferè vbique obsecrabat, vbi  
ipse poterat imperare. Cum obsecrationibus  
enim (vt dicit Salomon. Prouerb. 18.) loquitur  
pauper, & diues effabitur rigidè. Qui enim cum  
imperio, & obiurgatione corripunt, similes sunt  
illis, qui resciant veteres patellas, qui dum vnū  
foramen volunt obstruere, vno ictu mallei multa  
fora-

foramina faciunt in patella. Quid enim est aliud correctio, nisi fractorum vasorum reparatio? Dicit enim Ecclesiasticus 21. quod, Cor fatui quasi vas confractum. Si ergo reparaturus patellam temperat ictum mallei sui: tu, qui cor confractum, quod multo preciosius est, tuo ministerio habes recuperare; discere temperare correctorem tuam. Dicit enim Seneca, quod vitia animi, sicut vulnera corporis leniter sunt tractanda. Contra obstinatos tamen & rebelles (sicut dicit Gregorius) durius est agendum. Attende etiam O Prælate, quod corrector debet semper iram tibi subicere, & non ab ira subijci; secundum quod de bono Malachia dicit Bernardus: Quod ira in manu eius erat, vocula veniebat, nutu, & non impetu ferebatur, quia cum veller utebatur, & cum nollet non utebatur. Ideo & Moyses de Dei vindicta super Aegyptios loquens ait, Exodi 17. Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam. Non mittunt iram, sed ab ira insultant iracundi, qui sequuntur impetum iræ suæ. Mitte ergo Prælate exemplo Domini ante te iram tuam, ut non ex impetu, sed ex deliberatione, & pacato iudicio, culparum exequaris vindictam. Attende quid de stulto dicatur in Iob 41. Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, &c. Per gladium iram intellige, qui stultum apprehendere dicitur, cum ab ira superatur. O quam melius est apprehendere gladium, quam apprehendi à gladio? sic multo melius est iram tenere,

Seneca.

Gregor.  
Obstina-  
ti cū ira  
incre-  
pantur.  
Bernar.

Ira quo-  
modo  
retinen-  
da.

tenere, quàm ab ira teneri. Iram scilicet cohibere; quàm ab ira cohiberi, siue superari. Non te ergo superet ira, dicit Iob 36. Ad idem etiam facit, quod de Christo iudice venturo dicitur in libro Sapientiæ 5. Acuet diram iram in lanceam. Iram acuit ille, qui iram suam cohibet, & animo suo dominatur, & cū deliberatione, & discretionē vindictam contra peccantem exercet. Ille autem ab ira acuitur, quem ira superat, qui non nutu, sed impetu fertur. Tu verò ò claustralis, ò subdite, si tibi aliquid durum, vel durè à Prælato iniungitur, præcepti duritiam per mansuetudinem, & obedientiam studeas emollire, sicut docet Leo Papa dicens: Humilibus nihil est arduum, mitibus nihil est asperum; quia gratia præbet auxilium, & obedientia emollit imperium. Noli ergo ò claustralis per propriæ voluntatis retentionem cor tuum indurare, ne priueris beneficijs, ne merita tua euacuari contingat, & resumendo spiritum, quem deposuisti, furtum committas; quin potius spiritu tuo per veram obedientiam spoliatus, non tuo, sed spiritu Dei viuas: quia quanto plus de spiritu tuo, idest, de voluntate tua subtrahes, tanto amplius de spiritu gratiæ, & consolationis Diuinæ participabis. Vnde in Psal. 103. Posteaquã dictum est: Auferes spiritum eorum, & deficient. subiungitur: Emittes spiritum tuum, & creabuntur. Et ita spiritu propriæ voluntatis sublato, spiritus Dei emittitur ad creationem, & renouationem: vt creatio ad bonorum naturæ

reno-

Leo P.

renouatio ad bonorum gratia restitutionem referatur. Et hæc de cordis datione dicta sufficiant.

---

INCIPIT LIBER SEXTVS,

DE ELEVATIONE  
CORDIS.



**I**CTO de cordis datione, ad tractandum de eiusdem eleuatione procedamus, ad quã nos inuitat Ieremias Thren. 2. dicẽs: Leuemus corda nostra, cum manibus ad Dominum in coelos. Cum enim (vt dicit Salomon Sapient. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Patet quãta difficultas in cordis eleuatione consistat, quam illi soli nouerunt, qui ad sui cordis erectionem conati sunt. Cor enim ad modum grauis ponderis de facili ad ima labitur, nec diũ in summo teneri potest. Dicturi ergo de eleuatione cordis, primò tractabimus quomodo leuandũ sit, secundò quare leuandum. Circa primum attendẽdum est, quod cor sursum leuatur, cum superna meditatur, & ad superna spe, & desiderio tendit, & anhelat; cum affectiones suas supernorum intentione dirigit, & informat. Eleuate ergo cogitatum vestrum in Domino, figendo

do cum illis, de quibus dicitur Sapientiz 5. Cogitatio illorum apud Altissimum. Solent vulgariter quidam homines alti cordis appellari, qui valde bassum cor habent in terrenis suffocatum, & attritum. Ille enim solus cor altum habere dicitur, qui alta cogitat, & ad alta tendit. Altum cor habere docet Ecclesiasticus 6. dicens: Cogitatum tuum habe in præceptis Dei. & ne sufficere videatur cogitatio, nisi operatio subsequatur; Sequitur ibidem: Et in mandatis illius maxime assiduus esto. Assiduus in mandatis est, qui ab ipsis mandatis per peccandi propositum non recedit, iuxta illud Job 23. A mandatis labiorum eius non recessi. Notandum autem, quod licet peccatum profundum, & infimum teneat locum, (si locus peccato debeat dari) nihilominus tamen iustus de peccato cogitans dicit cum Psal. 37. Cogitabo pro peccato meo. Non habet cor depressum, sed elevatum: cum enim de peccato cogitat ad dolendum, & ad confitendum, iam non sub peccato, sed supra peccatum est, secundum illud Psal. 50. Tibi soli peccaui. Ad hoc etiam pertinet, quod dicitur in Psal. 75. Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ cogitationis diem festum agent tibi. Hominis dicit, idest rationalis. Animal enim rationale homo appellatur. Sola enim cogitatio rationalis, idest, discreta, & honesta, etiam lingua tacente confitetur Deo, & laudat Deum: Ideo dicit: Cogitatio hominis confitebitur tibi; non cogitatio peccatoris. Bestiales

Quæ cogitatio laudat Deum.

cogitationes dicuntur, quæ circa turpitudinem carnalium delectationum versantur. Tales non cogitant ut homines, sed ut porci. Tales enim cogitationes indisciplinatæ non Deum laudant, sed potius blasphemant. Et ideo sicut dicitur Sapientiae 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet factum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Sanè sine intellectu sunt cogitationes inhonestæ, & indisciplinatæ, quæ circa corporis delicias versantur. Tales sunt sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Ab istis ergo cogitationibus aufert Spiritus Sanctus non donum, sed se ipsum: cum huiusmodi cogitationes per sui frequentiam animum emolliant, & resoluant, & usque ad consensum, & morosam delectationem cum periculi sui animaduersione inducant. Attende quantum aufert Dominus, cum se ipsum aufert. Si vis ergo tantum bonum immotum non auferri, cogitationes in te noxiæ non morentur. Usquequo enim morabuntur in te cogitationes noxiæ? dicit Dominus per Ieremiam 4. Nota, quod de mora præcipue reprehendit, cum dicit: morabitur: quia, & si aliquando cogitationes noxiæ cordi adueniant, tamen in corde morari non debent. Eleuetur ergo cordis tui meditatio, ut à corde ad carnem non desinat; imò in corde, & cum corde fiet, & maneat, ut tibi conveniat illud Psal. 76. Meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Attende, quam notabili-

Cogitatio mala aufert spiritus

Meditari in corde, & cum corde, differunt.

ter dicit se meditatum cum corde. Sunt enim multi, qui meditantur in corde, pauci verò, qui cum corde. Contingit enim in corde inania meditari, sicut illi populi, de quibus dicitur: quod Meditati sunt inania. Ille verò non meditatur cum corde, qui cor secum non habet, qui non discernit, nec aduertit quid cogitat. Vnde Dominus de tali dicit, Isaia 57. Abijt vagus in via cordis sui. Vias eius vidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi. Vagus in via cordis sui vadit, quæ leui cogitationum mobilitate, & affectionum ducitur, non discernens qui cogitat sicut homo vagus, nesciens quò vadit. Nihil enim humano corde fugacius, dicit Gregorius. Cor vagatur foris, & corpus per se remanet in choro, tanquam vicarius. Si cor tuum in Ecclesia in propria persona non deseruit, non attendens ad ea, quæ leguntur, vel cantantur; non mireris si ab eo distributiones canonicæ auferuntur, & subtrahuntur. Non enim apud Deum fructum præbendæ percipit, qui in propria persona non deseruit. In propria persona cor in Ecclesia deseruire volebat Apostolus, ad Ephesios 5. qui dicebat: Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. Si enim Laus Dei, sacrificium est, iuxta Psal. 49. Immola Deo sacrificium laudis; pellem tantum sacrificij offerunt Deo, qui ore laudant, & cor subtrahunt à laude. Attende etiam, quod cor tale simile est nuncio fatuo,

tuo, qui ad quærendum modulum ricularum de domo ad domum transmittitur, & tandem nihil reportat, nisi derisionem, & laborem. Ita cor indisciplinatum de vna cogitatione conuertitur ad aliam; & exulare & dispergi per deuia compellitur, vana, & inutilia cogitando, secundum quod dicitur Iob 20. Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur. Ideo subiungit Dominus in prædicta authoritatē Isaiæ 57. scilicet: Vias eius vidi, & sanavi eum. Cogitat enim cordis Dominus se à corde elongare; quod à se ipso elongatur, & per varia dilabatur. Ideo meditare cum corde tuo: Ille enim cum corde suo meditatur, qui discretè, & sapienter cogitat, qui cor suum tenet, & iuxta verbum Senecæ: Secum consistit, secum habitat, & moratur. Pete ergo à Domino, vt cor tuum ab exteriori dispersione ad se ipsum reducat; & sic consolationes interiores, quas amisit recedendo recuperet redeundo. Et sic tibi conueniat, quod in fine prædictæ authoritatis Isaiæ subiungit Dominus: Reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi. Vnde rectè, posteaquam dixit: Meditatus sum in corde meo, quasi exponendo subiungit: Exercitabar, scil. ad meditationē cordis rediens, & ad cor reuertens. O quàm laudabile, & vtile exercitium, cordis sui reuocatio, & reuocati retentio, quorū vtrumque docet Dominus in Euangelio Matth. 6. dicens: Cum oraueris intra in cubiculū tuum, &c. Cubiculum intrare, est cor suum reuocare.

Nuntius  
fatuus,  
cor vana-  
num.

Seneca.  
Recolle-  
ctio cor-  
dis.

ostium autem claudere, est cor suum tenere reuocatum, quod est valde difficile. Nam cor quasi de natura sua, de facili elabitur ad vana, & corruptibilia cogitando. Vnde Psal. 29. posteaquam dixit: Cor meum dereliquit me; subiungit: Complaceat tibi Domine, vt eruas me; quasi dicat; per me ipsum nō possum cor meum, quasi auem male introductam ad suum reclinatorium reuocare, nisi tu me adiuues, ad ipsum reuocandum. Tu es enim auceps, & sagax, & doctus, qui tecum habes signum purpureum passionis tuæ, scilicet memoriam ad reuocandum aues ad manum. Vnde notabiliter dicit: Complaceat, idest, simul placeat, idest, mihi placeat, & tibi placeat. Sequitur ibi: Et scopebam spiritum meum. Scopa spiritus, confessio est. Spiritum enim suum scopare, est cor suum per confessionem purgare, sicut in principio primi tractatus expositum est. Et ad hoc conuenit expositio. Cassiodori super illud verbum: Cogitatio hominis confitebitur tibi. Primum enim Deo confitetur, quando peccata sua humili confessione accusat, & tantum reliquæ cogitationis diem festum agent Deo. Reliquæ ex cogitationibus Deo confitentibus sunt pax, & gaudium cordis. Hæ sunt reliquæ illius mensæ, de qua dicitur Psal. 41. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte. Cogitationem Deo confitentem appellamus illam cogitationem, quæ dolorem de peccato, & confessionem inducit: sicut cum homo, tanquam rationalis cogitat

Scopare  
spiritu.

Cassiod.  
Psal. 75.

Reliquæ  
cogitationis  
confitentur  
Deo.

gitat de peccato, quàm damnosum, quàm amarum, & quàm vile sit peccare, & huiusmodi: Et hæc cogitationes ad modum ministrorū ponunt mensam doloris, & poenitentia. cuius mensa reliquæ sunt pax, & gaudium cordis. Felix mensa, & felices reliquæ. Felices quoque qui huiusmodi pane lachrymarum, & reliquijs gaudiorum nutriuntur. Eleuare ergo iactando cogitatum tuum in Domino, & ipse sic te eruet. Fac de Domino Deo tuo nutricem tuam, & post cibum lamentationes, & luctus reliquijs consolationis faciet te. Separentur ergo à te cogitationes peruersæ, quæ à Deo te separant, vt dicitur Sapient. 1. Et aufer à te etiam cogitationes, quæ sunt sine intellectu, à quibus se aufer Spiritus sanctus, vt habetur in eodem. Et quæ præcepit tibi Deus, illa cogna semper, sicut monet Ecclesiasticus 3.

*Secundum eleuatorium cordis, quod  
est Spes.*

**S**ecundum eleuatorium cordis est spes. Scriptum est enim Proverb. 29. Qui sperat in Domino subleuabitur. Verè enim subleuatorium cordis est spes. Ipsa enim ante tempus quodammodo introducit animam in possessionem regni coelestis, iuxta verbum Apostoli dicentis, ad Hebræos 6. Spem incedentem vsque ad interiora velaminis. Incedentem dicit, idest incedere facien-

cientem animam scilicet ad interiora velaminis, id est coelestem beatitudinem nobis in præsenti velatam. Vere subleuatoria est spes, quæ sola Altissimo innititur, iuxta verbum Isaïæ 50. Qui ambulat in tenebris, & non est lumen ei? Speret in Domino, & innitatur super Deum suum. Ambulat in tenebris, qui vivit in tribulationibus, & a duersis tibus huius mundi. Sed lumen consolationis, & gaudij in ipsa aduersitate spes præbet ei. Spe enim boni illius, ad quod tendimus, quicquid in via contingat, gaudere debemus, sicut dicit glossa super canonicam Iacobi. Si vis ergo in tenebris lumen habere, spera in Domino, & ipsa spe mediante innitaris super Dominum tuum. Verè enim spe cor Deo innititur. Nam ipsa cor sperantis proijcit in Deum. Ipse verò non ita crudelis est, vt se subtrahat, & in se sperantem cadere permittat, iuxta illud Augustini dicentis: Cur Dominus toties ad innitendum, seu appodiandum nos induceret, si nos supportare non vellet? Non illusor Dominus, vt se ad supportandum nos offerat, & nobis ei innitentibus in ruinam nostram se subtrahat. O quàm bonum, quàm securum est inniti tibi, super Deum tuum. Dum enim de proprijs viribus diffidis, & de ipsius adiutorio confidis, propria virtute te exuis, & fortitudine te induis. Verè in tantum subleuatoria est spes, quæ in odorem coelestium currit vnguentorum, Cant. 1. cui concessum est intrare in hortum coelestis voluptatis, & inde odores afferre ad condiendam

Spe eleuamur.

August.

dāni amaritudinem præsentium aduersitatum. Quomodo autem spes in odorem coelestium vnguentorum animam currere facit, determinat Bernardus super Cant. dicens; Omnino propter Bernar. mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Iesu, quod non spernas pauperem, idest, peccatorem non horreas. Non enim horruisti latronem confitentem, Lucæ 24. Non lachrymantem peccatricem, Lucæ 7. Non Chananæam supplicantem Matthæi 15. Non deprehensam in adulterio, Ioan. 8. Non sedentem in telonio, Matthæi 9. Non negantem discipulum, Matthæi 26. Non Paulum persecutorem discipulorum, Actor. 9. Non ipsos crucifixores, Matthæi 27. In odorem horum currimus vnguentorum. Attende quod cursus iste sursum est, quia vnguentorum istorum odor de sursum venit. Eleuare ergo in Deo te totum ponendo, vt dicere possis Deo tuo cum Psalmista: Ad te Domine leuavi animam meam. Et vt scias quando eleuatio ista inest animæ per spei confidentiam; subiungitur: Deus meus in te confido non erubescā. quasi dicat: per confidentiam spei anima mea ad te eleuatur.

*De tertio cordis eleuatorio, quod est*

*Desiderium.*

**T**ertium cordis eleuatorium est Desiderium. Scenim Desiderium fames est cordis, iuxta illud

illud vulgare, quod cor dicitur esurire, quod desiderat: necesse est, quod cor desiderans post rem desideratam, tanquam post cibum suum eleuetur. Sicut canis post cibum sursum sibi porrectum salit, imò potius sicut avis nobilis post prædam suam se ipsam agitat, & collum extendit: & licet getijs detenta pro sua possibilitate eleuetur. Cum ergo (ò charissima) in loco, mundo scilicet isto sis constituta, sursum sit præda tua. Eleuare tanquam avis famelica prædaria post solum Christum, cordis tui solam prædam, cupiens cum Christo dissolui à getijs necessitudinis carnis, & esse cum præda tua Christo tuo, cuius visione, & præsentia satieris: ut tibi cõueniat verbum, dictum Genes. 49. Ad prædam ascendisti fili mi. Væ illis, qui ad modum milui post macellum volitantis in istis inferioribus, tripas, & viscera capiunt. Isti ad prædam non ascendunt, sed descendunt, nec prædam capiunt, sed à præda capiuntur; dum carnis, vel mundi delectationibus illaqueantur. Et ideò, de corde prædario, & famelico post prædā suam suspenso, sub Aquilæ similitudine loquitur Dominus ad Iob dicens 39. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque in accessis rupibus. Inde contēplatur escam, &c. Per aquilam, quæ avis est solitaria ad alta volans, subtiliter videns: anima contemplatiua designatur, quæ ab amore, & conuersatione mundi separa-

Eleuatio  
nem do  
cēt ani-  
malia.

Pulchra  
expositio  
Diui  
Iob 39.

separata est, iuxta illud Ieremiæ Thren. 3. Sedebit solitarius, & tacebit, quia eleuauit super se. In cuius volatu contemplatio, in cuius visu intelligentia demonstratur. Quærit ergo Dominus Iob 39. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila? idest, anima iusti per contemplationem, quasi dicat: non, sed ad meum. Et ponet in arduis nidum suum, idest, in supernis, tanquam in tuto loco, & secreto figet mentis desiderium. In petris manet, idest, in exemplis, & dictis Sanctorum, qui hic petræ appellantur, mentis stabilitate. In præruptis silicibus commoratur, idest, in contemplatione sanctorum Angelorum, quorum gloria in terra à Domino posita contemplatur, & cum suspirio postulatur: qui dicuntur prærupti, quia pars eorum cecidit, Lucifer scilicet cum suis, & pars remansit. Integri quidem sunt per qualitatem meriti, prærupti per qualitatem numeri. Inde contemplantur escam, idest, Christum, qui est cibus Angelorum, refectio animarum. Hunc cibum tibi conuenientem, o charissima esurias, quam videre, & comedere, satiari est, sicut dicit Psalmista 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Hunc cibum esurias, cuius satietas esuriem parit, sicut ipsemet testatur Ecclesiastici 24. Qui edunt me adhuc esurient. Hunc cibum esurias, cuius esuries satietatem gignit, sicut ipse dicit in Euangelio Matth. 5. Beati qui esuriunt, &c. Hunc cibum esurias, qui sola esurie comparatur, & habetur. Hoc est enim solum pretium,

Famem  
in terrâ  
mittit  
Domi-  
nus.

Ll

scili-

scilicet esuries : quod à te pro tanto cibo , & tantum pretioso requiritur. O quam bonum forum reputares , si cibum delicatissimum pro sola fame , & vinum delicatissimum pro sola siti posses obtinere ! Esuries sanè , & sitis cordis tui , desiderium est. Soli enim desiderio omnis cibus , omnis potus , & omnis coelestis satietas conceditur. Vnde ipse , exponens pretiū tabernæ suæ , dicit in Evangelio Ioan. 7. Si quis sitit veniat ad me , & bibat. Item , Esurientes impleuit bonis. Hæc sunt bona , quibus desiderium suum dicitur implere , Psal. 102. Qui replet in bonis desiderium tuum. Iste cibus , iste potus Christus tuus est. Hunc desideras , & pretium persoluisti. nunquam enim desiderio denegabit , nec denegare potest. Attende tamen quod dicitur Lucæ 1. Esurientes impleuit bonis. Et qui replet in bonis desiderium tuum , non determinans quibus bonis , quia ipse est omne bonum , quo repletur desiderium. Ideò de isto omni bono dicit Ambrosius : Omnia nobis Christus factus est , si febribus æstuas , fons est : si vulnus habes , medicus est : si mortem times , vita est : si auxilio indiges , virtus est : si cibum quæris , alimentum est : si viam quæris , via est. De isto ergo facias tuum totum , & ad totum datus est. Eleuare ergo , o anima famelica , post cibum tuum , qui cibus non conceditur , nisi animæ eleuatae. Vnde Dominus per Isaiam 58. posteaquam dixit : Sustollam te super altitudines terræ ; subiunxit : Et cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Cibus hæ-

redi-

Ambrosius.  
Christus  
omnia  
in omni  
bus.

reditatis tuæ sunt consolationes diuinæ, quæ soli animæ eleuatæ conceduntur, & tribuuntur.

*De quarto eleuatorio Cordis, quod est  
Intentio recta.*

**Q**uartum eleuatorium cordis, intentio recta est, cuius est actiones ad Deum dirigere, & quasi sursum trahere, cuius est totam conuersationem ordinare. De hac intentione dicebat Apostolus ad Philipp. 3. Nostra conuersatio in coelis est; quia intentione regni coelestis obtinendi opera sua informabit. Eleuet ergo, ô charissima, conuersationem tuam intentio recta, ut solum Deum intentionis oculo credas, & à solo Deo videri cupias. Ipse enim solus remunerator tuus, ipse solus merces tua magnanimis. Veruntamen ipsa intentio tua oculus cordis tui est, ut dicit Christus in Euangelio, hoc oculo Christum dilectum tuum videas, ut amplioris amoris tui teneritudine erga te prouocetur. Ut iuxta illud vulgare canticum: Aspectus tuus simplex, & amarus; amicum tuum facias amosum: iuxta illud quod dicit sponsa suæ, Cantic. 4. Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum; id est, in unitate seu simplicitate intentionis tuæ me ad ampliorem amorem prouocasti. O quam dulce, quam tenerum cor, quod solus aspectus vulnerare potest. Væ ergo illis, qui oculos intentionis

suæ declinare statuerunt in terram, sicut isti, qui actiones suas non ad Deum, sed ad mundum perperuersam, & distortam intentionem conuertunt. De talibus conqueritur Dominus Osee 5. dicens: Victimæ declinastis in profundum. Et quæ sunt victimæ nostræ, nisi pænitiæ nostræ? Has victimas in profundum declinant, qui fauorem humanum, aut commodum temporale in sacrificijs pœnitentiarum suarum intendunt. Eleuetur ergo intentio tua, quæ sursum conuersionem tuam totaliter trahat, vt illud suspendium eligas, de quo dicit Iob 7. Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Quod exponit Gregorius dicens: Anima appellatur hic intentio mentis, ossa verò fortitudo carnis. Illud quod suspenditur ab imo ad alta leuatur; anima ergo suspenditur, vt ossa moriantur, quia amore vitæ æternæ fortitudinem carnis in se ipsa mortificat. Attende ergo, charissima, quod tibi suspendium elegisti, & ossibus tuis mortem, quando crucem vitæ claustralis ascendisti, vt sumas; & laudabili morte, quam facit charitas, moriaris. Sicut enim mors animam separat à corpore, sic dilectio Dei te debet à mundo separare. Fortis enim est vt mors dilectio, sicut dicitur Cantic. 8. Notandum autem quòd duplex est suspendium, vnum Christi in cruce; aliud Iudæ proditoris, qui abiens, laqueo se suspendit, Matth. 27. Et Christi suspendium elegerunt boni claustrales cum Apostolo dicente ad Galatas 2. Christo confixus sum cruci;

Quid suspendiū  
animæ.  
Gregor.

Suspendium duplex.

cruci; idest, ad honorem, & similitudinem Christi. In hoc autem similitudo attenditur, vt sicut in cruce Christus pedes habuit affixos, & manus, & solam vocem habuit liberam, ita ò tu claustralis in illo, quod tu elegisti crucis claustralis suspendio pedes affixos habeas per stabilitatem, vt à discursibus, & egressibus ociosis, & inutilibus te restringas: & manus, vt absque licentia nihil des, vel accipias. Vocem verò solam cum Christo habeas liberam ad orandum, cantandum, psallendum, & legendum. Hæc est enim vita claustralis. E. contrario miser Iudas in suspendio suo pedes habuit liberos, non affixos, manus etiam liberas, vocem verò non habuit liberam, voci enim suæ iter præcluserat, quando laqueo se suspendit. Eodem modo tu, qui pedes habes liberos ad exeun- dum, & currendum, qui pedibus tuis cum fatua muliere, de qua dicitur Prouerb. 7. Subsistere non valēs in domo; & qui manus habes liberas ad dandum, & accipiendum, qui in choro files ad psalmos, vocem habes præclusam ad cantandum: non cum Christo crucifixus, sed Iudæ suspendio es suspensus. Reprobato igitur Iudæ tam amaro, & tam damno suspendio, suspendium nobile Christi eligat anima tua, & mortem ossa: vt sicut Christus in cruce inclinato capite emisit spiritum, Ioan. 19. sic tu humiliato corde omnem à te spiritusositatem, idest, omnem proprium sensum, omnem propriam voluntatem emittas. Eleuare ergo, ò charissima, vt ea, quæ sursum sunt, cogita-

Suspensi  
dicuntur  
veri reli-  
giosi.

Suspendium Iu-  
dæ.

Contra  
nolentes  
cantare  
in choro

cogitatione, & intentione quæras, spe, & desiderio sapias, non quæ super terram. Hæc enim quæ sursum sunt, quatuor eleuatoria cordis, scilicet, cogitatio, spes, desiderium, & intentio possunt designari per illos quatuor anulos aureos, quibus Arca Dei eleuabatur, vt legitur Exodi 28.

### *Quare Cor eleuandum sit.*

Locus  
naturaliter  
noster.

**D**icito quomodo cor sursum eleuandum est, restat dicere quare eleuandum est. Et super hoc potest quadruplex ratio assignari. Prima est, quia sursum est patria tua: & naturaliter quilibet ad patriam propriam tendit, & in ea libentius commoratur. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, ait Apostolus ad Hebræos. 13. Attendite mundum istum, patriam cordis non esse, imò potius alienam. Væ ergo illi, qui in tam alieno loco cor suum depatriatur, ubi corda commoda, imò omnimoda requies denegatur. Licet enim cor infirma ista, furore, & infirmitate, vel ægritudine agitatam appetat, tamen in eis non requiescit. Quia igitur, iuxta Philosophorum sententiam, requies est in loco, ad quem naturaliter mouetur: patet quod animus humanus non mouetur naturaliter ad terrena, cum in eis non quietem, sed afflictionem inueniat, vt dicit Salomon Ecclesiastæ 1. At, illud etiam notandum est, quod, sicut dicit Tullius: Nos sumus auidiissimi, appetentissimiq; hone-

honestatis. Honestas autem de sursum est. Ergo cum nulla res habeat duos contrarios motus, aut duas quietes naturaliter, certum est, quod spiritus humanus non descendit deorsum naturaliter, nec quiescit ibidem, sed generaliter sursum tendit. Ipsa enim figura hominis hoc ostendit. Cætera enim animalia (ut dicit Philosophus) natura vultum ad terram deijciunt, hominum autem vultum dedit erectum. Noli ergo assimilari iumentis insipientibus, ut iumentino more incurveris ad ima; cum spiritus tuus naturaliter tendat ad alta; quod innuit Salomon, sub quæstione, quam mouet, dicens: Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum? Ecclesiastæ 3.

Secunda ratio, quare cor sursum eleuandum est, quia ibi thesaurus noster est, ibi enim ponimus quicquid boni veri facimus. Et ubi est thesaurus, ibi & cor tuum est, ut dicit Dominus in Euangelio Matth. 6. Attende quod cor sequitur thesaurum. Vnde autem illi, qui in terra thesaurizat, quasi per consequens cor suum in terra, locorum disconuenienti cordi, & tam extraneo, tam periculoso, & tam pernicioso exulabit. Vnde Chrysostomus nobis exponens Euangelium dicit: Nolite vobis thesaurizare in terra, quia de terra non estis, nec de terra venistis: sed de cælo estis, & de cælo venistis, & iterum in cælum redituri estis, nisi ultro voluntarij in terra volueritis remanere. Illuc ergo (dicit Chrysostomus)

Thesaurus noster de sursum est.

Chrysostomus.

con-

Homo  
nihil hic  
possidet.

congrega substantiam tuam, ubi patriam habes: Qui enim collocat in terra thesaurum, non habet, quid speret in cælo. Ut quid ergo aspicit cælum, si nihil habet repositum? Attende, quis pauperem iudicaret diuitem effectum, & sibi sufficientem, si eidem in auro, & argento seruiretur in alieno hospitio recepto ad mensam, cum nihil licet ei extra hospitium deportare? Ostium huius domus alienæ, mundi scilicet, Mors est, ad quod iudex assistit, ut dicitur Iacobi 5. Ecce, iudex ante ianuam assistit. Quicquid ergo in eo tibi confertur, totum reputa alienum. Super illum locum Evangelij, Lucæ 16. Si in alieno fideles non fuistis: dicit Hieronymus: Alienum est, quicquid huius sæculi est, quia præter naturam est. Et pro tanto dicit ista temporalia esse præter naturam, quia sunt præter id, ad quod natus, id est creatus est homo. Nam creatus est, ut Deum agnosceret, & agnitum diligeret, & dilecto frueretur: Cum ergo bona huius mundi præter naturam sint, & ea penes hospitem oportet relinquere in egressu; noli ideo diues, sicut Apostolus docet 1. ad Timoth. 6. Sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. Non sunt enim hominis bona, quæ secum deferre non potest: sicut ait Ambrosius in Epistola ad Paulinum: Sola Misericordia comes est defunctorum. Illud solum tuum reputa, quod pauperibus erogasti. O quàm bonus, quàm necessarius comes est Misericordia! Iste est comes, qui facit locum unicuique secundum meritum operum

Laudatur  
misericordia

operum suorum, Ecclesiast. 16. Iste est comes, qui causam hominis defendit, & allegat efficaciter pro eo, sicut dicit Propheta: locundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia talis disponit sermones suos in iudicio. Iste est comes, qui eum, quem comitatur de omni malo passu eijcit. Liberat enim à morte, Tobie 4. Noli ergo, o diues, talem famulum, talem aduocatum, talem pugilem post tergum tuum relinquere; sicut illi, qui res suas auarè continent, nihil in vita per manus proprias pauperibus distribuunt; sed eas post vitam per manus alienas distribuendas disponunt, expectantes, quod tunc fiat eis forbiciuncula cum mortui fuerint, cum tamen dicat Ecclesiasticus 18. Ante languorem adhibe medicinam. In coelo ergo thesauriza, tanquam in tuto, & non in terra cum illis, qui thesaurizant, & ignorant cui congregabunt ea. Psal. 38. In caelo reposituerat, & thesaurizauerat, qui dicebat, 2. ad Timoth. 1. Scio cui credidi, & certus sum. Attende quòd mercatores scire volunt, cui credunt sua, si emptor bonus est, & si bonæ conuentionis. Quare ergo non attendis cui labores tuos, & operationes tuas credis? O quam stultus mercator es, si mendaci mundo, & tam malæ cōuentionis, quicquid agis, & quicquid laboras, committis. Stultus quidem mercator es, si totum studium, & totam intentionem ponis in mundo, & magnos pro ipso labores, nullas verò, vel modicas pro Christi pauperibus fa-

Pro quo  
laboran-  
dum.

M m

cis

cis expensas. Sic labores tuos in aliena domo dimittis contra doctrinam Salomonis, dicētis Proverb. 5. Labores tui non sint in domo aliena. Verè domus aliena mundus est. Non enim reddit depositum; quod in morte apparet, præcipuè ubi mundi amator, ad modum fatui mercatoris proprijs mercibus se spoliari percipit, & defraudatur. Scias ergo, & cognoscas, cui credas, idest, credentias tuas facias. Illi soli labores tuos, & operationes tuas committas, qui potens est depositum tuum seruare, & tibi mercedem pro laboribus tuis reddere. Reddet enim Deus mercedem laborum Sanctorum suorum, Sapientiæ 10. Quicquid pro mundo feceris tanquam perditum habe. Mundus enim tanquam bursa perforata est, ubi quicquid ponitur, elabitur. Noli esse de illis stultis mercatoribus, de quibus dicit Dominus per Aggæum 1. Qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.

Mundus:  
saccus  
pertusus.

Tertia ratio, quare cor eleuandum est, quia patrem habemus cœlestem, cœlesti autem patri filij cœlestes conueniunt. Qualis enim cœlestis, tales & cœlestes dicit Apostolus 1. ad Corinth. 15. Vnde orantes dicimus; Pater noster, qui es in cœlis: Matth. 6. Noli ergo (ò charissima) à tali, & tanto patre esse degenerans, imò cœlestem patrem habeas, cœlestis esto filia, cœlestia querendo, cœlestia sapiendo. Item, à patre cœlesti petas, cœlestia, non terrena, cuius manus tornatiles, Cantic. 5. idest, faciles, & habiles ad donandum: sicut

sicut res tornatilis facillime vertitur, vel voluitur. Dicitur etiam habere manus plenas hyacinthis. Hyacinthus cælestem habet colorem, in quo notatur bonorum præciositas. Dat ergo pater tuus de leui, quia manus habet tornatiles: dat abundanter, quia manus habet plenas: dat etiam de bono, quia hyacintho plenæ sunt, idest donis cælestibus.

Quarta ratio quare est eleuandum cor, est plenitudo, & perfectio omnium bonorum, quæ sursum sunt. Vt quicquid volueris, aderit, & quicquid nolueris, aberit, dicit Gregorius. Nihil exterius, quod appetatur, nihil interius quod fastidiatur. Ibi beata vita (vt dicit Augustinus) in suo fonte bibitur, quæ beata vita est, vt idem dicit, cum id quod est omnibus optimum, & amatur, & habetur, ibi sanitas absque infirmitate, ibi iuuentus sine senectute, ibi satietas sine fastidio, ibi libertas absque seruitute, ibi pulchritudo absque deformitate, ibi immortalitas absque passibilitate, ibi abundantia sine indigentia, ibi pax absque perturbatione, ibi securitas absque timore, ibi cognitio absque ignorantia, ibi gloria absque ignominia, ibi gaudium sine tristitia. Ecce duodecim bona cœlestis patriæ tetigimus, quæ sunt duodecim fructus ligni vitæ, de quibus Ioannes Apocalyp: 22. Dicas ergo, sicut dicit Augustinus in libro confess. O cælestis Ierusalem, domus luminosa, ad te suspiret peregrinatio mea, & possideat me in te, qui fecit te, & me.

Gregor.

August.

August.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS,

QVOMODO COR DEBET  
SCINDI.

ICTO de cordis eleuatione, de eius scissione dicendum est, ad quod nos inuitat Dominus per Ioelē 2. dicens: Scindite corda vestra. Scissionem quam facit contritio prætermittentes; ad tractandum de illa, quæ pertinet ad donum sapientiæ iuxta nostrum propositum, considerationis nostræ oculum conuertamus. Scinditur cor, cum ab omni carnalitate separatur, cum ab omni affectu illicito purgatur, & depuratur, cui solus Deus sapit, cui totum desipit, quod Deus non est. In cuius figura dicitur de Nathan, Ecclesiastici 47. Surrexit Nathan Propheta in diebus David, & quasi adeps separatus à carne. Per Nathan significatur cor dono cælestis patriæ impinguatū dulcedine. Nathan enim donum gratiæ, pinguedo interior interiora iecoris, & intestinum operiens, per quem perfectæ charitatis affectio designatur. Hæc est enim pinguedo inebrians cor, à mundo penitus alienans; de qua dicit Dominus per Ieremiam 31. Inebriabo animas sacerdotum pinguedine. Hic est Nathan, id est, animus dono cælestis dilectionis impinguat. Adeps appellatur.

Quibus  
modis  
scindi-  
tur cor.

pellatur, separatus à carne, idest, ab omni carnis inquinamento, & ab omni inordinato affectu carnali; à consortio carnalium, vita, & moribus segregatus. Ista autem pinguedo charitatis perfecta, de qua loquimur, pertinet ad sapientiam. Est enim dilectio Dei honorabilis sapientia, Ecclesiastici idest, causa honorabilis sapientiae, qua res sapiunt, prout sunt. Vnde sapientia, à sapiendo dicitur, vel à saporando. Sapientia doctrinae secundum nomen eius est talis, qualis significatur ex nomine scilicet sapientia, idest scientia qua sapit, & saporē habet. Sapientia enim scientiam habet, tu res sapiunt, prout debent, quas agnoscat, cum scilicet mala culpa, idest peccata sunt tria amara, bona & temporalia vilia, & bona spiritualia thara. Vnde dicit Bernardus: Inuenisti plane sapientiam, si prioris vitae delicias peccata, & huius mundi desiderabilia parvipendas, si eternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam, si tibi singula sapiunt, prout sunt. Attende tamen quod strictius sumitur sapientia per cognitionem suauitatis Diuinae per experientiam habita, ad quam suauitatem experientiam nos incitat Psalmista, dicens Psal. 33. *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus. Notandum, quod primo dicit: Gustate; postea Videte: quia experientia gustas Diuini cognitionem generat. Hinc est, quod posteaquam Ionathas mel gustauit, illuminati sunt oculi eius, ut legitur 1. Reg. 14 Per mel Diuinae bonitatis dulcedo designa-*

Quid sapientia.

Bernard.

Gustandū prius quàm videntum.

Gregor.

signatur, quam qui gustauerit, eius visus interior confortatur. Vnde de forti muliere dicitur Proverb. 31. Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio eius. Vnde Gregorius: Eius suauitatem non cognoscitis, quia minimè gustastis. Attende etiam quod dicit: Gustate, non comedite, non bibite, quia quicquid potest homo in presenti vita de Dei bonitate percipere, non est nisi quædam prægustatio, sicut vini clamatores parum vini ad gustandum offerunt, vt suauitate gustata inuitentur ad emendum. Hunc gustum expertus erat Augustinus in libro Confessionum, dicens: Aliquando introducis me, o bone Iesu, in affectum multum inusitatum introrsum, nescio in quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod in vita ista non erit. Sed recido in ijs ærumnosis ponderibus, & solutus reorbeor, & multum fleo. Hic esse volo, sed non valeo, ibi valeo, sed non volo, miser vtrobiq;.

Attende charissima Augustinum introductum in affectum inusitatum, & introrsum: ipsum tamen pondera ærumnosæ, & corruptæ naturæ ab illo statu felici reuocabant. Iste autem affectus multus, & inusitatus comparatur amor ecstático, qui amare per amores vulgariter appellatur. Ecstáticus enim ab ecstasi: vnde amor ecstáticus dicitur, qui mentem alienat; qui non suis cor aliud cogitare, nisi circa rem dilectam. Sumitur tamen amor ecstáticus in bono, aliquando secundum quod de eo loquitur Dionysius, qui appellat.

Amor  
ecstático.  
Dionys.

iat amorem ecstasticum illum amorem, qui totaliter transfert amantem in usum, & profectum amati. Tali amore (sicut idem dicit) nos Deus dilexit, se totum in usum nostrum, & profectum totaliter transferens, dicens de tali amore: Est amor ecstasticus, qui non finit suos esse amantes, sed amatorum. Sumitur etiam aliter ecstasticus, pro amore mentem alienante, secundum quod ecstasis dicitur alienatio: qui, scilicet amor apud Græcos *eros* appellatur. Est autem amor, *eros*, magnum desiderium, cum magna concupiscentia, & afflictione cogitationum. Hæc dicuntur viri nobiles, qui semper molliem, & delicias vitæ quærunt, & subiecti sunt huiusmodi passioni. Licet autem amor iste valde sit reprehensibilis; tamen humanum animum valde reprehendit, & confugit in hoc, quod creaturæ tam miserabiliter inhaeret, qui suo creatori, à quo, & ad quem factus, & posset, & deberet tam feliciter inhaerere. Vt ergo cōprobemus, & cognoscamus vñum amorem per alium. Notandum, quod huiusmodi amoris ecstastici multa sunt signa, inter quæ septem tangemus, quæ plus videntur amantibus inhaerere.

Septem  
amoris  
argu-  
menta.

*Primum signum amoris ecstastici, est multa cogitare, & pauca loqui.*

**P**rimum est, quod huiusmodi amorosi multa concipiunt meditantés, sed pauca loquuntur;

&

Pulchra  
exposi-  
tio.

& etiam proferunt ea, quæ loquuntur, imperfectè. Defectiuæ enim locutionis sunt huiusmodi amantes, & maxime quando cum re amata, vel de re amata loquuntur. Hanc defectiuam locutionem animæ amorosæ innuit sponsa, Cantic. 2. dicens: Dilectus meus mihi, & ego illi. Hic supplendum est, non enim determinauit ista, quis sibi sit dilectus, vel quæ ipsa sit dilecto. Ideo, sicut Aaron loquutus est pro Moyse, qui ineloquens erat, ut dicitur Exodi 4. ita ratio debet loqui pro affectu, & supplere quod affectus Dei amore inebriatus minime supplere potest. Suppleat ergo Aaron verba Moyse, idest, ratio, verba imperfecta affectus amorosi, & dicat: Dilectus meus mihi, congruit; & ego congruo illi. Quasi dicat: si puritas, si speciositas, si generositas, si fidelitas attendatur, omnino congruit mihi, & ego illi. Omnia hæc ipse habet per naturam, & ego dono misericordiæ suæ habeo per gratiam. Item, Dilectus meus mihi, est omnium laborum, dolorum, tribulationum, merces, & premium, secundum quod ipse dixit Abraham: Ego sum merces tua magna nimis: Genes. 15. & ego sum illi, scilicet; quasi dicat: Dilectus meus propter me habendam libenter omnia sustinuit; & ego similiter propter ipsum habendum omnia libenter sustinebo. Item, Dilectus meus mihi totus scilicet vixit, & totus mortuus est; & ego similiter illi tota vitam, & tota moriar. Hoc est, quod dicit Apostolus ad Roman. 14. Sine viuimus, Domino viuimus;

mus; siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur Domini sumus. Dilectus meus mihi est, scilicet quies laborum meorum, & summa deliciarum, secundum quod ipsemet dicit, Prouerb. 28. Hæc est requies mea, reficite lassum. Attende verba istius animæ amorosæ, quanta indigeat suppletione, & multò ampliori, quàm tibi sit expositum. Sed apud dilectum non est necessaria ista suppletio, qui benè nouit intelligere amoris linguagium, apud quem crebrò huiusmodi locutiones defectiuæ, & imperfectæ sonant.

*Secundum signum amoris ecstatici, est  
Deficcatio membrorum.*

**S**ecundum signum amoris ecstatici est deficcatio membrorū. Amoroſi areſiunt in membris, eo quod vehementi cordis applicatione circum dilectam multiplicatur ſpiritus, ex quo interiorem deficcationem patiuntur. Ita, & amore vehementi areſcit anima ab omni humore carnalis voluptatis; quod ſignanter exprimitur Exodi 14. ubi legitur, quòd Dominus exiccauit mare rubrum flante vento vehementi, & vrente. Quid per mare rubrum, niſi carnalis voluptas deſignatur? quæ rectè mare dicitur, quia, quicquid phantaſticæ dulcedinis prætendit, in amaritudine terminatur. Rubrum autem appellatur, quia in vitijſ carnis cõſiſtit, & ſanguinis. Per ven-

Extin-  
ctio paſ-  
ſionum.

N n tum

tum vehēmentem, & vrentem, amor vehemens, & affectum carnalem desiccans, designatur. Vnde super Apostolos, quando in aduentu Spiritus sancti, qui amor est, facti sunt amorosi: factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, id est, venti vehementis. Act. 2. Quid est ergo, quod ventus vehemens abstulit mare rubrum, nisi quod amor diuinus desiccatur in amantibus omnem carnis voluptatem, & omnem carnalem affectum? Et hoc est, quod valdè terret Diabolum. Cum enim loca humentia diligat, sicut dicitur Iob 14. Quia in locis dormit humentibus; loca verò arida fugiat, sicut dicitur in Euangelio Lucæ 11. Qui ambulat per loca inaquosa quærens requiem, & non inuenit; terretur affectu desiccato ab amore carnali, quia non habet, vbi possit gressum figere in anima. Vnde in huiusmodi figura legitur in libro Iosue 5. Quod Reges Chanaan timuerunt valdè, audientes quod sicasset Dominus fluuium in aduentu filiorum Israel. Perflet ergo cor tuum ventus vehemens diuini amoris, vt in te omnis carnalitatis humor desiccetur, & terror incutiatur inimicis tuis Dæmonibus, qui per Reges Chanaan perterritos designantur. Vt etiam Diabolus, qui in aqua deliciarum viuit ad siccum positus moriatur. Hinc est, quod cum Tobias piscem, qui in aqua ipsum inuaserat, per quem Diabolus designatur; ad siccum extraxisset, mortuus est. vt legitur in eodem cap. 6.

Ter-

*Tertium signum, concauitas oculorum.*

**T**ertium signum amoris ecstatici est concauitas oculorum. Consueuerunt enim amorosi habere oculos cōcauos, seu profundos, quia oculi sequuntur spiritum, sese inuicem retrahentes ad locum æstimationis. Sic oculi interiores animi amorosi, qui sunt intellectus, & affectus, profundantur in capite, idest, in corde. Totum enim intra est, quod quærit: totum intimum, quod diligit. Extra nihil cupit, intra nihil fastidit. Item, in profundo capitis, idest, cordis, habet oculos anima amorosa, vt videat, & inuestiget, & consideret, ne in corde sit aliquid, quod amico displiceat, qui solus cor intuetur. Item, in profundo cordis habet oculos, vt occultos accessus, & recessus amici sui videat. Accedit enim amicus, quando deuotione insolita mentem tangit: vadit, quando sensum dulcedinis præsentis suæ subtrahit. Subtrahit autem huiusmodi consolationem ab anima, vt ex ipsa subtractione desiderium crescat. Sancta enim desideria dilatione crescunt, vt dicit Gregorius. Desiderium autem Dei animam capacem efficit, vt Augustinus ait. Vnde, cum ipse det vnicuique iuxta propriam virtutem, & ipsum desiderium capacitas sit animæ, sicut dicit Augustinus: sequitur ex hoc, quod iuxta incrementum, seu extensionem desiderij, crescunt & dona. Si vis ergo impleri farina gra-

Gregor.

August.

tiæ coelestis, dilata sinum sacci tui, idest, crescat desiderium cordis tui, vt sic bonis suis repleatur desiderium tuum, Psal. 102. Item, hanc dulcedinem subtrahit amicus, vt anima impossibilitatē & infirmitatem suam recognoscens, humilietur. Humiliari enim cogitur, cum sibi huiusmodi spiritualia solatia subtracta videntur: nihil se, ex se habere cognoscens. Item, hanc dulcedinem subtrahit, vt ab expensis, & laboribus caueatur. In deuotione enim huius anima amorosa, si ei concederetur, taliter se consumeret, vt postea cogeretur deuenire ad defectum, quod non vult Dominus: quod in libro 2. Regum, c. 13. signanter exprimitur, vbi legitur, quod cum Absalon patrem suum Dauid secum ad conuiuium inuittasset; respondit: Noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te. Sic Dominus internorum gaudiorum conuiuium interdicat, vt sibi caueat ab expensis, & labore, ne scilicet grauetur anima, & deficere compellatur. Hinc est, quod in nuptijs in Cana Galilææ factis legitur Ioan. 2. vinum defecisse: vnde Maria introducitur dicens: Vinum non habent. Quid per vinum, quod lætificat cor hominis, nisi spiritualis lætitia designatur, quod in nuptijs spiritualibus frequenter deficit? Quid autem in hoc loco per Mariam, nisi ipsa cordis contritio denotatur? qua Christo nupta anima lamentatur se spirituale gaudium amisisse. Sed ei respondet Dominus: Nondum venit hora mea: idest, nondum est tempus plene gau-

gaudendi. Attende, quòd Dominus, quia ipse est solus dispensator coelestium gaudiorum, non semper vult facere vindemias, sed secum defert clauem cellarij sui, non sponsæ dimittendo, vt in sua potestate esset gaudere, cum ipsa sit debilis, nec benè vinum tale possit potare. Cito enim deficeret, & omnes labores actiui suspensi penitus remanerent. Sed in illa hora, qua nondum venisse legitur Dominus in Euāgelio Christus sponsam suam, corde iam solidato in cellā vinariam, Cantic. i. idest, in bonorum æternorum affluentiam introducet. Item, subtrahit hanc dulcedinem ab anima, vt poenarum æternarum timor ei incutiat. Si enim tam amarum, & tam intolerabile est ad tempus consolatoria sponsi carere præsentia, quàm intolerabilis erit illa totalis, & æterna abiectio, quando tolletur impius, & non videbit gloriam Domini? Item, subtrahit dulcedinem præsentiae suæ sponsus, vt habita cautius custodiatur. Multa enim præsentiae suæ dulcedinem tollunt, quæ non tollunt præsentiam, vt in illis, qui verbis ociosis, & scurrilibus sibi non cauent: qui huiusmodi solatijs vinculis exterioribus innodantes se exponunt, qui horas sine attentione dicunt; qui erga suos carnales amicos nimis tenere afficiuntur: tales sibi dulcedinem interiorem præcludunt. Attende, quòd vehemens amator, non solum reformidat facere aliquid vnde amore dilectæ priuatur, sed nec committit aliquid, per quod bonum vultum eius amitt-

Isai. 26.

amittat. Dicitur enim, quod cordi diligenti graue est solam vultus auersionem dilectæ sustinere. Si ergo, o charissima, verax amatrix Christi tui es, non tantum timeas mortale peccatum committere, per quod eius amore priueris; sed etiam ipsa venialia, per quæ bonus amici vultus perditur. Bonus vultus huius amici est consolatio spiritualis: & multum perdit, qui bonum vultum, Gallicè (*bonne chiere*) amici sui perdit. Si ergo lætitiā spiritualem tibi subtractam conqueris, expecta, & sustine patienter Dominum. Nihilominus autem considera semitas domus conscientiae tuæ, sicut de forti muliere dicitur, Prouerb. 31. per quas dilectus tuus regredi valeat; vt dilectum tuum per rectam intentionem, & frequentem memoriam provideas in cōspectu tuo semper, & dicere possis, quod ibi sequitur: Propter hoc lætatum est cor meum: & hoc est de Anna vxore Tobiae, c. 10. vbilegitur, quod post filium suum suspirans nullo modo consolari poterat, sed semper oculos habebat ad omnes vias, per quas spes remeandi videbatur ei.

Expecta  
consola-  
tionem,  
& veniet  
tibi.

### *Quartum signum, ficcitas oculorum.*

**Q**uartum signum amoris ecstatici, est ficcitas oculorum, carentia lachrymarum, nisi fletus eas adducat ex parte rei dilectæ. Vnde, nec mors proximorum, nec damna rerum in amorosis possunt lachrymas excutere: ita, anima amo-

amoroſa ad quæcunque damna, quæ ad rem dilectam non pertinent, minimè contriſtatur. Non enim contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit, dicit Salomon, Prouerb. 12. Accidens eſt iuſto quicquid præter principalem intentionem ei aduenit. Cum enim principalis intētio animæ amoroſæ ſit in amico delectari, quicquid ei præter hoc aduenit, non contriſtatur, ideſt, ex toto non triſtatur. Noli ergo damna exteriora lugere, dummodo ſolum illud tibi remaneat, quod principaliter diligis, & quod principaliter quæris: ſicut nec Tobias cap. 2. cæcitatem, nec Ioseph venditionem ſuam, Genef. 37. fleuiſſe legitur. Sed ſolus amor extorſit lachrymas, cum in Aegypto videns fratres ſuos excuſſos non potuit amplius ſe continere; ſed eleuauit vocem ſuam cum fletu, dicens: Ego ſum Ioseph, quem vendidiſtis in Aegyptum, Genef. 45. Sunt autē duo, quæ ab amantibus lachrymas excutere conſueuerūt. Primum ſunt cantilenæ amoris, & muſica inſtrumenta. Quando remoti ſunt à re dilecta, tunc maximè recordantur rei dilectæ. Cantilenas amoris appello cantus eccleſiaſticos. Cantus iſti dilectum tuum ad memoriam tibi reuocant, vt in eius memoria liqueſcias dilectione, & deuotione. Talis amator erat Auguſtinus, quando dicebat in lib. Confessionum; Flebam vberrimè in hymnis, & canticis ſuaue ſonantis Eccleſiæ vocibus vehementer affectus. Cantu tali te ſtudeas excitare. Noli eſſe campana, quæ pulſat ad vacuum, ſicut illi,

Exteriora non ſunt lugenda.

Quor ſūt quæ lachrymas ab amantibus excutiant.

Qualis  
debeat  
esse car-  
tor.

illi, qui cūm sciunt se audiri, efforciant se ad can-  
tandum. Talibus enim dicit Dominus per Amos  
5. Aufer à me tumultum carminum tuorum, &  
cantica lyræ tuæ non audiam. Verè tumultus  
appellari iure potest, quicquid non sonat in aure  
Dei. Noli ergo in cantu tuo aures alienas atten-  
dere, sed illius tantum, qui dicit Cantic.2. Sonet  
vox tua in auribus meis. Attende, quòd amorosi  
de suis amoribus consueuerunt cantilenas com-  
ponere, & cantando de re amata semper cogi-  
tant, & cogitando cantant. Ita tu in cantu tuo,  
de amico tuo cogitando canta, vt totus cantus  
tuus absorbeatur in Christo, vt possis ei dicere  
illud Psalmi 70. In te cantatio mea semper. At-  
tende etiam, quòd ioculatores rhythmos, & can-  
tilenas consueuerunt componere de illis, à qui-  
bus dona acceperunt. Cum ergo tibi Dominus  
tot dona largitus sit, verecundum sit tibi ei non  
cantare, cum illo scilicet, qui dicebat, Psal. 12.  
Cantabo Domino, (non mundo illi tanquam  
Domino) qui bona tribuit mihi. Item, sit cantus  
tuus plenus, & integer, non vanus, & detrunca-  
tus, sicut ille sonus, qui dicitur Echo, qui de mon-  
tibus resonat. de quo dicitur in libro Sapientiæ  
17. cap. Resonans de altissimis montibus Echo.  
Echo non est nisi vmbra vocis. sic, non habent  
nisi vmbra vocis, qui sine attentione, & deu-  
otione cantant, vel psallunt. Noli ergo gloriari de  
bona voce, qui non habes nisi vmbra vocis.  
Item, Echo fit ex resultu alterius vocis: tales sunt,  
qui

Cantan-  
dum Do-  
mino.

Sonus  
Echo.

qui non cantant in Ecclesia, nisi alterius exemplo prouocati, sicut quando quis videt alium oscirare, oscitat. Ita fit in illis, qui in Ecclesia quasi certatim cantant: & etiam in illis, qui in festo Sanctorum suorum, quos scilicet spirituali cultu reuerentur, ad cantandum se efforçant, & in festis aliorum silent: de Sanctorum meritis pueriliter contendentes. Tales similes sunt fictis peregrinis, qui plumbeas imagines vestibus suis affluentes deferunt, vt quasi de Sancto Iacobo, & alijs remotis peregrinationibus videantur reueri, qui tamen nunquam Sanctos illos visiterunt, quorum gestant imagines. Eodem modo huiusmodi moniales, seu monachi illos Sanctos affectione, seu imitatione nunquam visitant, quorum gestant imagines, quorum cultum, & honorem inepta contentione zelare videntur. Contra tales dicit Chrysostomus: Quæ est ista iustitia Sanctos colere, & eorum sanctitatem minime imitari? Primum enim sanctitatem diligere debemus, deinde Sanctos; quia non Sancti ante sanctitatem faerunt, sed sanctitas ante Sanctos. Et sicut dicit Hieronymus: Frustra Sanctos honorat, qui Sanctorum spernit sanctitatem. Sanctos ergo, ô charissima, affectu, & deuotione, & imitatione visita, quorum cultum, & honorem colere videris: nec habeas ita strictum calendarium in corde tuo, vt non possis comprehendere nisi festum vnius Sancti, vel duorum; cum dicitur in vulgari; quod non sit Sanctus, qui non habeat

O o                      festum

Chryso-  
stomus.

Hieron.

Cultus  
Sancto-  
rum.

festum suum. Item, sonus Echo detruncatus est, non enim resonat nisi vocis extremitas. Tales sunt illi, qui nolunt lassari in seruitio Dei, & non dicunt nisi extrema, Amen, Deo gratias, & Cum spiritu tuo. Item, Echo vix aliquid distinctum sonat, & repræsentat illos qui psalmodiando balbutiunt, & de principio cum multarum detruncatione syllabarum, cum impetu transeunt ad extremum. Sit ergo (ò charissima) cantus tuus integer, & distinctus, vt perfecta laus resonet in ore tuo; & ipsum os tuum, iuxta verbum Psalmistæ, laude repleatur. Sit cantus tuus plenus, idest, attentus, & deuotus, vt ex amore cantando efficiaris amplius amorosa. & iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 14. Psallas spiritu, psallas & mente. Spiritu, idest vocis melodia, dicit Glossa: & mente, idest, mentis intellectu. Secundum, quod excutit lachrymas ab amante est, cum de separatione rei dilectæ perturbatur: sicut Dauid, & Ionathas in mutua separatione fleuerunt, 1. Reg. 20. Dauid autem amplius fleuit: Fleuit quia amauit. Scriptum est enim ibidem, quod osculantes se alterutrum fleuerunt pariter, Dauid autem amplius. Ita timor separationis, quæ est quasi altera mors fletum inducit in amante. Iste autem timor semper comitatur amantes. Vnde quidam: Cuncta enim timeo, Nam quis vnquam securus amauit?

*Quin-*

*Quintum signum, Pulsus inordinatus.*

**Q**uintum signum amoris ecstatici, est pulsus inordinatus. Omnis enim amarus pulsus habet, aut nimis tardum, & rarum, aut frequentem, & velocem, secundum diuersas apprehensiones, quas habet de amato. Tardus est enim pulsus amantis, dum desperat de dilecto habendo. Velox, dum se sperat à re amata vicem amoris reportare. Pulsus animæ, affectiones sunt, quæ veloces sunt, & quasi cum mutabili celeritate tripudiare videntur, dum sperant se consequi dilectum suum. Talem apprehensionem habebat, qui dicebat in Psalmo 82. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Cor meum dicit, idest, cogitatio mea: & caro mea, idest, affectio mea exultauerunt, idest, extra se saltauerunt tendentes supple per spem in Deum viuum. Cum autem anima amorosa, peccata sua, & periculum considerat, videns etiam mulieres, & fortiores cecidisse, quodammodo cogitur lentescere, & ille pulsus affectionis, qui spe consequendi dilectum exultauit: timore concepto ex consideratione peccatorum, & ruina vitiorum lentus efficitur. Ideò vbera sponsæ, per quæ affectiones designantur, quandoque hinnulo capræ, Cant. 2. propter velocitatem, quandoque turri propter tarditatem, imò certè, immobilitatem in Canticis comprobatur.

Diuer-  
tas pul-  
sus affe-  
ctionū  
dispari-  
tatem in  
sinuat.

*Sextum signum amoris ecstatici, Soli-  
tudo profunda.*

**S**extum signum amoris ecstatici, est profunda cogitatio, & sollicitudo versa ad interiora, ita quod talis amorosus videtur gerere imaginem dormientis, qui non potest euigilare, nisi cum de amato sit ei mentio. Vnde, si cum huiusmodi amoroso loqueris de ijs, quæ inter homines sũt, quæ ad amatum non pertinent, vix poterit intelligere. Si autem de amato, vel quod ad amatum pertinet, audierit, statim intelligit, & euigilantis gerit imaginem, eo quod tota intentio, & cogitatio sua est fixa in amato. Eodem modo anima amorosa ad verba hominum sæcularium ad rumores, qui ad amatum non pertinet, clausum, & tardum habent intellectum. Si autem de Christo, vel ijs, quæ ad Christum pertinent, fuerit facta mentio, ibi euigilat, ibi intellectum facilem præbet, & pronum. Circa ipsum enim omnes eius quæstiones versantur. Vnde, à custodibus ciuitatis, qui sunt pastores, & Prælati Ecclesiæ, querit in Canticis 3. Num, quem diligit anima mea vidistis? Mos est amantium libenter rumores querere de amato. Væ autem animæ, quæ obscurum, & pigrum habet intellectum ad capiendum quæ Dei sunt: facilem verò subtilem, & promptum ad intelligendum quæ carnis, & mundi sunt. Cui rumores de Christo, & de ijs, quæ ad

Chri-

Aurem  
præbere  
de Chri-  
sto lo-  
quenti-  
bus.

Christum pertinent, onerosi sunt. Fabulationes verò, & rumores de mundo, & quæ ad solam curiositatem, & carnalitatem pertinent, delectabiles existunt, & libenter audiuntur. Hoc est signum certissimum, quod in tali anima deficit amor Dei, & regnat amor mundi. Noli ergo excitari, nisi tibi fiat mentio de Christo dilecto tuo. Rumores sæculares, & mundanos tanquam fabulas impertinentes in corde tuo nullatenus recipias, ut tibi conueniat illud verbum, quod legitur in Psal. 118. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, supple: excitauerunt me. Attende, quòd dicit: Fabulationes: quicquid enim ad Dei legem non pertinet, cor amorosum fabulam debet reputare. Sic excitatus fuit Iacob, Genes. 45. quando de filio suo Ioseph alij fratres de Aegypto reuertentes fecerunt mentionem. Audito enim, quòd dictum fuerat: Filius tuus uiuit, & ipse dominatur in tota terra Aegypti; statim sequitur ibi, quòd ipse, quasi de graui somno enigilans, tamen non credebat eis.

*Septimum, & ultimum amoris signum.*

**S**eptimum signum amoris ecstatici est, quod animus tali amori subiectus, videns rem, rei amatae similem, quasi insanire videtur. Eodem modo anima amorosa dum bonitatem, & dulcedinem Dei in præsenti percipit, quæ perceptio alius sicturæ beatitudinis, quasi quandam repræsentat.

sentat imaginem; incipit alienari, & quasi insanire: sicut in Petro contigisse legitur in monte Thabor in transfiguratione Christi, qui videns imaginem futuræ gloriæ, statim insaniuit, & dixit: Domine, bonum est nos hic esse, &c. Matth. 17. Nesciebat quid dicebat, & verè nesciebat. Nam, sicut dicit Chrysostomus, audierat in Ierusalem Christum moriturum esse, & tamen dicebat: Bonum est nos hic esse. In hoc autem excessus, & alienatio Petri notatur, quod de sola gutta, quæ gustauerat, inebriatus, tria tabernacula fieri postulabat. In hoc etiam, quod non sibi, sed alijs voluit tabernacula fieri, liberalitas, & largitas cordis Diuina dulcedine inebriati designatur. Non enim dixit, mihi vnum, sed, tibi vnum, Moyse vnum, & Eliæ vnum: nihil sibi reseruans. In quo charitas, quæ non quærit quæ sua sunt: 1. ad Corinth. 13. demonstratur. Item, verè nesciebat quid diceret, qui imaginem gloriæ, quam videbat, veram æstimabat, cum scriptum sit, Isaïæ 64. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Illa autem, quæ expectantibus se, præparauit, sunt cognitio aperta summæ veritatis, dilectio perfecta Diuinæ bonitatis, securitas æternæ possessionis, quæ in eo, & per eum habentur. Quò perducatur nos

Deus, qui est benedictus in  
sæcula sæculorum.

Amen.

F I X I S.

*Explicit liber de Doctrina Cordis, impressus Parisiis per Gaspar-  
dum Philippe, anno Domini 1506. 17. Septembris. Quem ego  
Fr. ALOYSIVS DE AQUINO Neapolitanus Ordini  
Prædicatorum cum reperissem, quamvis abiectum, & penè  
incognitum, & innumeris repletum mendis, iudicans Religiosis  
non fore inutilem, quæ potui diligentia iam correctum,  
& à Superioribus approbatum, imprimendum curavi. Neapoli  
anno Domini M D C I V.*

---

*Ego Fr. Ioannes de Montecorvino, Sacræ Theologiæ Professor, ex  
commissione admodum Reuer. Patris Fratris Pauli Minerua  
Bariensis Lectoris, Prouintialis Prouintia Regni, vidi, & legi  
præsens Opusculum de Doctrina Cordis inscriptum, quod Frater  
Aloysius de Aquino Prior Conuentus Sancti Dominici mihi tra-  
didit examinandum & probandum, & sua opera imprimen-  
dum, & nihil in eo inueni quod sit contra Fidem, aut bonos me-  
res: & idèd dignum censui quòd imprimatur. Et in fidem me  
subscripsi manu propria. Neapoli in Conuentu Sancti Dominici  
Kal. Decembris M D C I V.*

*Ita est. Fr. Ioannes qui sup. manu propria.*

---

*Ego Fr. Alphonsus de Marco de Aversa, Sacræ Theologiæ præsentat-  
us & in Studio Regij Conuentus Sancti Dominici Baccalauræus  
ordinarius, ex commissione admodum Reuer. Patris Fratris  
Pauli Minerua Bariensis Lectoris, Prouintialis Prouintia Re-  
gni, vidi, & legi præsentem librum de Doctrina Cordis nuncu-  
patum, à Fratre Aloysio de Aquino Priore prædicti Conuentus  
mihi traditum ad probandum, eius opera, & diligentia inuen-  
tum, & correctum, & nihil in eo inueni quod sit contra Fidem,  
aut bonos mores, & idèd dignum censui quòd typis tradatur. Et  
in fidem me subscripsi manu propria. Neapoli in Conuentu  
Sancti Dominici Nonis Decembris M D C I V.*

*Ita est. Fr. Alphonsus qui sup. manu propria.*

# I M P R I M A T U R.

*Curtius Palumbus Vicarius Generalis Capit. Neap.*

*Opus hoc verè aureum de Doctrina Cordis, dignum censeo, quod  
ad communem piorum hominum utilitatem typis excudatur.  
Rutilius Gallac. Canonicus deputatus vidit: & regist. fol. viij.*


*Hoc Opus pietatis exercitia continens valdè dignum esse censeo,  
ut imprimatur.*

*D. Gabriel Lottherius Deputatus vidit.*



## ERRATA CORRIGENDA.

| <i>Pag.</i> | <i>Errata.</i>       | <i>Correcta.</i>          |
|-------------|----------------------|---------------------------|
| 30          | Ecclesiaste,         | Ecclesiastæ.              |
| 39          | circumferunt,        | circumferunt.             |
| 47          | temptatio,           | tentatio.                 |
| 71          | contristaretur,      | contristauerit.           |
| 97          | esto verecundia,     | esto verecunda.           |
| 107         | mulieram             | mulierem.                 |
| 119         | debe, Mmisericordiam | debes, Misericordiam.     |
| 126         | tepesceunt,          | tepesunt.                 |
| 129         | Quoniam enim,        | Quoniam autem.            |
| 134         | computiuit,          | computruit.               |
| 151         | non conseruatur.     | non consecratur.          |
| 159         | vt molliat,          | vt molliat.               |
| 163         | Augustonus,          | Augustinus.               |
| 204         | manu,                | Manu.                     |
| 212         | stabiliti,           | stabiliri, vel stabilire. |
| 229         | infecto,             | infecto.                  |
| 237         | ancora,              | anchora.                  |







Österreichische Nationalbibliothek



Digitized by Google



Österreichische Nationalbibliothek



Digitized by Google

